SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

BABYLONIIS ARISTOPHANIS FABULA.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE

BABYLONIIS ARISTOPHANIS FABULA,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GUILIELMI BERLIN,

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

Johannes Hermannus Gunning,

RHENO-TRAJECTINUS.

DIE II MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXXII, HORA III ET DIMIDIA, IN ACADEMIA.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. H. E. BREIJER.

MDCCCLXXXII.

AVO VENERABILI

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMUS.

Cum jam in eo sim ut Academica studia absolvam, non possum non antiquo mori obsequium praestare, qui me praeceptoribus publicas gratias agere jubet; quo munere eo libentius defungor, quo magis ipse animi impetus me impellit, ut quantum iis debeam palam profitear. Institutores enim jam inde a prima pueritia diligentissima optimi patris cura et singulari fortunae beneficio semper habui praestantissimos, qui mihi ita praeierunt, ut ego securus eorum vestigia premere satis haberem. Quos si nunc omnes nominatim appellare supersedeo, nemo tamen est quem non pia memoria religiosissime colam; omnibus autem meritam gratiam sic referre apud animum meum constitui, ut omnes vires intendam, ne unquam me suum discipulum agnoscere dedignentur. Vobis autem, Facultatis Literariae Professores, qui usque ad hunc diem gradus meos ita direxistis ut jam solus progredi posse videar, pro Vestris erga me meritis quid rependam? Qui omnes mecum semper ita egistis, ut haud sciam magistri an amici mihi potius dicendi sitis. Sed Vestro in numero eheu quanto dolore eum desidero, qui omnium optime (pace Vestra dixerim!) de me me-

ritus est, quemque paulo minus quam patrem venerabar, virum dico clarissimum N. J. B. Kappeyne van de Coppello! Verum beatissimi viri memoriam quanti faciam mox alio loco prodam; nunc ad vivos me converto. Duo enim sunt, quos ex ceterorum ordine eximam, qui propensi in me animi, benevolentiae, amicitiae tot tantaque documenta dedere, ut ego in referenda iis gratia nunquam cum aliis tum mihimet ipsi satisfacere possim. Tu, vir clarissime Naber, quos labores, quanta negotia suscepisti, ut me opera Tua levares! Quae laus exigua sane, ne vilis, videbitur, si addidero, id omne Te ita fecisse, ut animi bonitatem in singulis testareris; pro qua ego non habeo quod reponam nisi gratiam sempiternam. Quodsi tanta beneficia etiam augeri possunt (neque pro Tua liberalitate ea exhausta esse credo), noli, obsecro, me nudum dimittere, sed consilio et experientia Tua etiam in posterum frui liceat. Te autem, vir clarissime A. Pierson, publicis laudibus extollere quid attinet? Novi, novi inquam, quanto amore me diligas; haud semel enim patris in me munera suscepisti; ita tamen semper, si bene Te novi, ut a me amari quam laudari Te malle appareret; qua de causa ego nunc nil nisi pium testor amorem; quomodo Tibi pro vasta eruditione meritas laudes reddant, curabunt alii.

Vos, sodales carissimi, quos non numero sed pretio aestimo, ut valeatis meique memores sitis ex animo voveo. Semper idem ut sis, in amicitia prima lex sancitur, quam a nobis nunquam violatam esse gaudeo, neque unquam violatum iri haud temere glorior. Quoniam igitur concordes egimus annos, quamvis spatio disjuncti et vitae quam nobis proposuimus ratione plerumque diversissimi, amicitiae nostrae fidem incorruptam servemus; equidem qui vobis fui, eundem me semper praestabo.

Lectoribus, quos mihi opto benevolentissimos, haec habeo

praemonenda. Cum, perlecto Mueller-Struebingii libro de Aristophanis ad historiam cognoscendam usu et fide, ut ex hac provincia minusculam quandam partem mihi adsumerem, statuebam, id maxime mihi curandum esse ratus sum, non ut novi aliquid afferrem, quod tam argumenti ratio quam mea tenuitas vetabat, sed ut ex ingenti plurimorum diversissimarum opinionum acervo id eligerem, quod mihi certum probatumque videretur, nihil quidquam autem admitterem, quod non solidis argumentis et sana ratione ab omni parte commendatum viderem. Qua in re ita versatus sum, ut neque insolenter illustrissimorum virorum, quos magni facio, auctoritatem impugnarem, neque cuiusquam vel antiqui vel recentis scriptoris sententiae addictus, quid sentiam libere profiteri dubitarem. Libri, quorum paginas tantum cum auctoris nomine, omisso titulo, indicavi, hi sunt:

Meinekius. Historia Critica Comicorum. MDCCCXXXIX.

Bergkius. Aristophanis Fragmenta in Vol. II. Meinekiani libri.

Dindorfius. Aristophanis Fragmenta in editione V^a^ Poëtarum Scenicorum. MDCCCLXVIIII.

Kockius. Comicorum Atticorum Fragmenta. Vol. I. MDCCCLXXX.

Fritzschius. De Babyloniis Aristophanis Commentatio. MDCCCXXX.

Mueller-Struebing. Aristophanes und die Historische Kritik. 1873.

Primo loco inquisivi, quid ex nobilissimae fabulae reliquiis de eius argumento colligi posset; qui ingratus plerumque labor fuit, cum pro tanta fama nominisque celebritate tenuissima tantum frustula fortunae iniquitas nobis reliquerit. Non igitur omnia fragmenta, quae virorum docto-

rum sollertia collegit, mihi tractanda esse putavi, sed aliquot silentio praeterii, quae ad meum scopum nullius prorsus usus erant; quae siquis tamen cognoscere velit, omnibus opinor Meinekiana vel Kockiana editio praesto est. Quae autem fragmenta laudavi, ea binis numeris distinxi, quorum prior ordinem fragmentorum nostrae fabulae in Meinekii editione minore indicat, alter locum quem apud Dindorfium obtinent; Kockianos numeros non addidi, quoniam ille uberrimum conspectum suae editioni praemisit. Secundo deinde capite Acharnensium et scholiastarum locos in partes vocavi, ubi de Babyloniis agitur, et quaestione quae est de Philonide et Callistrato quam accuratissime poteram examinata, transitum mihi paravi ad ultimum caput, in quo de causa, quae poëtae propter Babylonios dicenda fuit, agitur; hic autem substiti, quamquam latiorem campum ante oculos patere videbam; in quem nisi me *αὐθάδεια* quaedam ludit, postea auctis viribus et paratiore animo decurrere licebit. Nam hocce opusculum inchoatum potius quam absolutum esse, bene mihi conscius sum, neque hoc attentum lectorem fugiet; quem tamen, ne me condemnet, anxius oro; ipse enim judex sedeo in me ipsum, atque diligentiae quidem et curae nihil me scientem omisisse, temporis autem quantum rei gravitate poscebatur mihi defuisse, candido animo profiteor. Cuius rei causas inquirere noli: *ἐλευθερὸς γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.* Itidem operam dedi nequid quod ab aliis bonae frugis allatum esset, negligerem; potest tamen fieri ut aliquid me effugerit, quod tironi, opinor, condonandum est. Multos autem quos consului, ideo non nominavi, quod toti ab aliis penderent, inter quos v. c. sunt historiae litterariae scriptores.

Itaque judicum clementiam imploro, qua, si me absolverint, non ita me abusurum esse spondeo, ut desidia et inertia vires hebescere patiar; sed cotidiana exercitatione

et indefesso labore splendidissimis honoribus, quos hodie ambio, in dies me digniorem reddere conabor. Quod si quis, non respecta huius libelli mediocritate, argumenta mea perpendere et aut refutare aut comprobare pro digno habuerit, ego plus merito me honoratum esse existimabo, et a doctioribus me erroris convinci libentissime patiar.

Scribebam Ultrajecti
exeunte mense Novembri anni
MDCCCLXXXII.

CAPUT PRIMUM.

Quo anno acta sit Babylonii fabula, prorsus constat. Dicit enim Aristophanes Acharn. 377:

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν.

ubi Scholiasta: *διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν*: Τοὺς Βαβυλωνίους λέγει. τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν, et alterum scholion, omissum in Ravennate codice: εἶπε γὰρ δρᾶμα τοὺς Βαβυλωνίους τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ, ἥτις ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται ἐν ᾧ ἔφερον τοὺς φόρους οἱ σύμμαχοι. Itaque cum Acharnenses edita sit olymp. 88, 3. Euthydemo archonte mense Gamelione, Lenaeis, h. e. initio anni 425 a. C. n. (cf. A. Muelleri praefationem in Acharn. pg. IV—VII), sequitur Babylonios actam esse olymp. 88, 2 Eucle archonte, Dionysiis magnis, vel vere anni 426 aerae nostrae. Cum his conspirant testimonia Photii pg. 499, 1 s. v. Σαμίων ὁ δῆμος: τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κε' ἐπὶ Εὐκλέους. Sic enim scribendum κε' lenissima correctione pro καί. Euclides archon fuit olymp. 94, 2, Eucles 88, 2; itaque intersunt quattuor olympiades

integrae, et anni tres prioris et duo alterius olympiadis qui conficiunt summam 25 annorum [1]).

Difficillimam quaestionem quae est de Callistrato, qui nostram fabulam docuisse traditur, in sequentibus tractabimus, ibique pro viribus investigabimus qua ratione Aristophanes in docendis fabulis aliena opera usus sit.

„Nomen [2]) fabulae ab choro inditum fuit, quem ex servis molitoribus compositum fuisse Hesychii loco (s. v. Σαμίων ὁ δῆμος) edoceri videmur." Hoc praefracte negavit Fritzschius, quin et Dindorfium cum tam bella conjectura jubet „abire Morboniam." His nihil deterritus idem docet Bergkius l.l. pg. 969. Neque ego intelligo cur vir doctissimus hanc opinionem tantis conviciis onerandam censuerit. Sed audiamus ipsum. „Quid audio? Servorumne Chorum diris devovisse Pisandros? Siccine vero? Servulos istos pacis auctores fuisse et ut quaeque maxime salutaria cognita essent, sic ea Atheniensium populo in parabasi palam commendasse? Aut omnino Aristophanem unquam eo descendisse, ut e mastigiis barbaris, literatis, gravi compede vinctis, modo furtim inter se intuentibus, modo oculos in terram pavide dejicientibus chorum suum componeret." Non video quid poëtam ab hac re deterrere potuerit. An quod choreutae hoc indignati sint? Num magis quam Avium, Vesparum, Ranarum, Ciconiarum [3]) partes in cog-

1) Clintonus correxit κδ' in Fastis Hell. II pg. 75 edit. III, quem secuti sunt Fritzschius pg. 1, Bergkius apud Meinekium Fragm. Com. Graec. II pg. 966. A. Mueller. Acharn. Praef. pg. X. Sed notum est veteres aliter computasse ac nos iisque spatium XXV annorum interdum dici quod nobis est annorum XXIV. Dindorfium igitur et V. Cl. Naberum in Photii editione secutus sum, praesertim quia illa coniectura mihi multo levior, ac propemodum nulla, videtur.

2) Verba sunt Dindorfii pg. 185.

3) Miram quam protulit Fritschius opinionem (Quaestt. Aristoph. pg. 25), Pelargos non esse ciconias sed quos solemus Pelasgos vocare, ab omnibus

nominibus comoediis, aut mulierum, quae apud Graecos paulo supra servos habebantur, in Lysistrata, Thesmophoriazusis, Ecclesiazusis? His adde Aves, Culices, Ranas [1]) Magnetis, Capras Eupolidis, Pisces Archippi, Angues Menippi, Feras et Aves Cratetis, Luscinias Canthari, Formicas Platonis (v. Meinek: I pg. 34). Lydos induxit Magnes (Schol. Equit. 523), Persas vel Assyrios Chionides (Suidas i. v.), Helotas Eupolis. In Pherecratis Δουλοδιδασκάλῳ chorus ex servis constitisse videtur. Verum Fritzschius mihi objecisset has non omnes fuisse politicas, ut aiunt, comoedias. Non omnes, sed tamen aliquot. Neque haec objectio quidquam valet, modo teneamus parabasin neque solam neque prae ceteris comoediae partibus poëtis usurpatam fuisse ut quae de republica bene gerenda sentirent, populo exponerent, de qua re infra uberius dicetur. Sed fac chorum in parabasi illa dixisse quae se ausum esse coram Atheniensibus dicere Aristophanes gloriatur Acharn. 633—645, quidni? Quoties chorus in parabasi extra suam personam loquitur, ita ut prorsus oblitus esse videatur quosnam in fabula repraesentaverit? Quae res tam nota est ut putidum sit exempla afferre. Hoc tantum addam: videtur

---

quantum scio, merito rejecta est. Quam futilibus autem argumentis vir ceteroquin ingeniosissimus saepe indulserit, in hac potissimum causa ostendi potest. Vide apud eum l.l.

1) Vespas Aristophanis et Ranas Magnetis consulto addidi, quamquam in neutra fabula chorus illa animalia repraesentat, quae nomina sua fabulis dederunt. Vesparum chorus enim constat ex judicibus senibus, qui cur Vespae dicantur, ipsi declarant vss. 1071—1090 et 1102—1121; erant enim *μέσον διεσφηκωμένοι* (vs. 1072) et *τοὺς τρόπους καὶ τὴν δίαιταν σφηξὶν ἐμφερέστατοι* (vs. 1103). Ranarum Magnetis nomen Schol. ad Equit. 523 sic explicat: *ἐστὶ δὲ χρώματος εἶδος τὸ βατράχειον. ἐχρίοντο δὲ τῷ βατραχείῳ τὰ πρόσωπα πρὶν ἐπινοηθῆναι τὰ προσωπεῖα.* Et in Ranis Aristophanis verus chorus *μύσται* sunt. Credo igitur et aliarum fabularum nomina, quae ab animalibus derivata sunt, ob causas aeque leves indita esse.

enim chorus antequam in orchestram descenderet, ornatum suum exuisse, vid. Acharn. 627 : *ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν* cum Schol.: *ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀποδυομένων ἀθλητῶν, οἳ ἀποδύονται τὴν ἔξωδεν στολὴν, ἵνα εὐτόνως χορεύωσι καὶ εὐστροφώτεροι ὦσιν* [1]) et Pac. 370 *ἀλλ' ἴθι χαίρων, ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες, τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σώζειν*. Deinde, quid hoc est: „diris devovisse Pisandros?" nam Pisandrum leviter modo et non nisi obiter perstrictum esse docet fragm. XXVII (50). Sed ut uno verbo absolvam, deprendere hic mihi videor perversam illam de Aristophane opinionem, quem nonnulli sibi tanquam morosum philosophum finxerunt, qui nihil nisi querelas in ore haberet, quique tanquam vates imminentem patriae ruinam intuens, quae scilicet totam se democratiae dedisset, etiam atque etiam sed frustra cives suos admoneret atque obsecraret, ut tandem demagogorum blandis orationibus fidem habere desinerent. Cui opinioni implicatus Fritzschius facile sibi persuasit „chorum in Babyloniis constitisse ex optimatibus qui popularem aurem nullo modo captantes saluti reipublicae unice prospicerent." Quae si vera fuissent, multum vereor ne stomachantes Athenienses poëtam tam manifesto odio excepissent ut nunquam postea fabulam edere ausus esset. Difficile autem est dicere quas partes optimates illi egerint, de qua re apud Fritzschium altum est silentium. Quodsi paulo curiosius animum attendisset ad Schol. Acharn. 377 : *ἐκωμῴδησε τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχάς* et *πολλοὺς κακῶς εἶπεν*, neque gloriosis Aristophanis verbis in Acharnensium parabasi deceptus foret, atque de totius fabulae argumento et indole aliud, opinor, judicium tulisset. Nunc

---

1) Sed quos locos comparari jubet A. Muellerus, sc. Lysistr. 615, 662, 1173. Nub. 1102. Vesp. 408 Thesm. 656 Pac. 336 Archipp. fr. 40. Timoth. fr. 1 ab re alienissimi sunt.

quam parum sibi constiterit, paucis ostendere conabor. Pg. 9 suspicatur „legatos insulanos in scenam prodiisse tam praeposteros, tam ridiculos planeque barbaros, quam videmus Triballum inter πρέσβεις deorum Av. 1567 ss." At pg. 20 legimus: „quam rem (sc. ut demonstraret τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν ὡς δημοκρατοῦνται) ita instituerat (poëta), ut singulis civitatibus Babyloniorum sive servorum, qui cummaxime e pistrino protracti essent, personam imponeret." Ergo, si recte eius verbo intelligo, primum venerunt in scenam legati insulani, plane barbari. Dixeris igitur ab his fabulam nomen accepisse, nam Babylonios dici pro barbaris docemur pg. 18. Sed secus est. Etenim, incertum cum legatis an post eos, introeunt insulae ipsae personatae, siquidem civitates, quae sub Atheniensium dicione erant, insulae fuerunt. Hae servorum personas induerant, et ecce jam Babylonii isti tantopere quaesiti. „Durum, inquies, inventum, illiberale et ab humanitate quam maxime sejunctum" [1]) sed — „magni refert scire, non id egisse poëtam, ut populos istos ludibrio haberet, immo eum spectatorum et totius populi misericordiam ita commovisse, ut populares et calumniatores acerbe traduceret" [1]). Facile credo, nam nulli usui erant illae insulae, cum jam chorus optimatium, homines severi, graves, verecundi, senatui Romano, qualis fuerat sub Appio Claudio Caeco simillimi, suscepisset ostendere quam male Athenienses sociis suis imperarent. Fortasse igitur melius rem instituisset poëta, qui scilicet nil aliud agebat quam ut reipublicae saluti prospiceret, si nullos praeter optimates illos de perversa Atheniensium dominatione conquerentes induxisset. Sed mittamus jocularia, et quae Fritzschius deinde contra Dindorfium profert, perpendamus. Hunc enim cum ad constan-

---

1) Verba ipsius pg. 20.

tem usum poëtarum scenicorum provocaturum esse suspicaretur, ille exclamat: „Quasi vero isti se consuetudini semper adstrinxisset vel ipse Aristophanes" (pg. 17). Recte sane, sed videtur mihi non attendisse, quaecunque fabula nomen habet plurali numero positum, id a choro inditum esse. In superstitibus Aristophanis fabulis hoc manifestum est, sed etiam de iis, quae non integrae ad nos pervenerunt, idem licet affirmare, cum in multis probari possit. Vide Dindorfium et Bergkium ad fragmenta Daetalensium, Heroum, Lemniarum, all. Idem de comoedia, quae *Νῆσοι* inscripta est, valere ipse docet Fritzschius adhibito fragmento secundo

A. *εἰσὶν δὲ ποῦ;*
B. *αἱδὶ κατ' αὐτὴν ἣν βλέπεις τὴν εἴσοδον.*

quibuscum conferas quaeso Nub. 323 [1]) et 325, Av. 296.

Longum est idem demonstrare in reliquorum comicorum [2]) reliquiis, sed exempli gratia apponam fragmentum ex Eupolidis Capris petitum

βοσκόμεθ' ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς, ἐλάτης, κρίνου κομάρου τε·
πτόρθους ἁπαλοὺς ἀποτρώγουσαι κτὲ.

quod satis demonstrat nomen a choro inditum esse. Jam videmus longe plures comoedias nomina habere plurali

1) Obiter moneo ad haec verba (*βλέπε νῦν δευρὶ πρὸς τὴν Πάρνηθα*) Parnetha montem revera spectatoribus ad sinistram fuisse, quod novum argumentum accedit ad opinionem quam G. Hermannus proposuit in dissertatione de re scenica in Aesch. Orestia (Aesch. II p. 650) probatam ex Soph. Elect. Itaque refellitur scriptor vitae Aristophanis XI, cum dicat: *καὶ εἰ μὲν ὡς ἀπὸ τῆς πόλεως ἤρχετο ἐπὶ τὸ θέατρον (ὁ χορός), διὰ τῆς ἀριστερᾶς ἁψῖδος εἰσῄει, εἰ δὲ ὡς ἀπὸ ἀγροῦ, διὰ τῆς δεξιᾶς*, qui aut neglegentius ant obscurius locutus est.

2) In tragicis idem valere in aprico est.

numero. Apud nostrum 23 sunt inter 41 [1]), apud reliquos veteris comoediae poëtas duae fere partes universi fabularum numeri. Observavi autem nomina singularis numeri frequentiora fieri quo magis ad mediae comoediae tempora accedas, quin et haud raro nomen solum mutati generis index est. Verum jam nimis longus mihi videor in refellendis, quae nemo defensurus est, et invito Fritzschio statuere licebit Babylonios nomen suum a choro accepisse. Recte autem Dindorfius ad Hesychii locum provocat, qui idem declarat. Ibi enim legimus: *Σαμίων ὁ δῆμος· Φησί τις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει* (ex emendatione Salmasii pro *περὶ τῶν Ἀριστοφάνους*) *τοὺς ἐκ τοῦ μύλωνος* [2]) *ἰδὼν Βαβυλωνίους. Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν· ὡς πολυγράμματος· καταπληττόμενος τὴν ὄψιν αὐτῶν καὶ ἐπαπορῶν.* Quae verba accurate perpendenti non erit dubium quin Fritzschius iterum erraverit cum ex iis conficeret Samiorum populum ipsum in scenam productum esse. Non enim Samii erant servi illi molitorii, quos conspicatus appropinquantes *παρὰ τὴν εἴσοδον* mirabundus exclamat nescio quis:

Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν· ὡς πολυγράμματος.

sed lusit in ea re poëta consimili modo atque Av. 284, 290. Hoc confirmant Photii verba i. v. *Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις, ἐπισκώπτων τοὺς ἐστιγμένους.* et Plutarchi in vita Periclis c. 26 *πρὸς ταῦτα λέγουσι καὶ τὸ Ἀριστοφανεῖον ᾐνίχθαι,* nam si servi illi revera fuissent Samii, neque *σκῶμμα* esset, neque *αἴνιγμα*. Versiculum inter duas personas dividen-

---

1) Detraxi enim Aeolosiconem alterum quem cum Bergkio ex catalogo delendum puto, et Nubes alteras et Plutum alterum, quae in hac causa pro singulis habendae sunt. Quodsi Plutum, Aeolosiconem et Cocalum, quae a grammaticis mediae comoediae speciem exhibere dicuntur, quamquam et aliae ad idem genus pertinere videntur, dempseris, ratio constabit, quae est inter 23 et 38.

2) Scribendum *μυλῶνος* cum Dindorfio.

dum esse monuit V. Cl. Cobetus in Mnem. N. S. I pg. 138, quod recepit C. Furius in repetita Sintenisiana editione Periclis vitae a Plutarcho conscriptae. Sed cum vir summus nullas omnino addiderit rationes mihi quidem non persuasit, ut ad eius sententiam accederem. Dixisset enim, opinor, Hesychius non ἰδών sed δεικνύων, neque τοὺς Βαβυλωνίους sed τοὺς Σαμίους, nisi eum credamus hominem, quisquis ille fuit, mendacii convincere voluisse, quod nimis ridiculum est. Postremo quod ante verba καταπληττόμενος κτέ. integrum versiculum repetit, id mihi coarguere videtur, totum eum ad eundem τινά referendum esse. Quodsi Hesychium vel eum a quo sua mutuatus est, depravatam lectionem jam in suis codicibus invenisse putabit, respondendum est, hoc nimis incertum esse, quia totum locum non cognovimus.

Verba illa postea abierunt in proverbium [1]) cuius varias grammatici tentaverunt explicationes. Pergit Photius l.l. οἱ γὰρ Σάμιοι καταπονηθέντες ὑπὸ τῶν τυράννων, σπάνει τῶν πολιτευομένων ἐπέγραψαν τοῖς δούλοις ἐκ πέντε στατήρων τὴν ἰσοπολιτείαν, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Σαμίων πολιτείᾳ. Ἢ ὅτι παρὰ Σαμίοις εὑρέθη πρώτοις τὰ κδ´ γράμματα, ὑπὸ Καλλιστράτου, ὡς Ἄνδρων ἐν Τρίποδι· τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔπεισε χρῆσθαι τοῖς τῶν Ἰώνων γράμμασιν ἄρχειν· οἱ δ' Ἀθηναίοις [2]) ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλείδου. (His cum statim addat quae supra exscripsi pg. 1, videtur significasse Callistratum illum eundem esse per quem Aristophanes fabulas suas in scenam commiserit, quod non opus est redarguere) περὶ δὲ τοῦ πείσαντος ἱστορεῖ

1) Nam non contra ab Aristophane proverbium in suum usum conversum esse, ostendit Plutarchus l.l. qui horum verborum non tanquam proverbii meminit.

2) Scribendum videtur Ἀρχῖνος ὁ Ἀθηναῖος vel Ἀρχῖνος simpliciter. Virorum doctorum varias conjecturas vide apud Bernhardium in Suidae editione ad nostrum locum.

Θεόπομπος. οἱ δὲ ὅτι Ἀθηναῖοι μὲν τοὺς ληφθέντας ἐν πολέμῳ Σαμίους ἔστιζον γλαυκί, Σάμιοι (δὲ) τῇ Σαμαίνῃ, ὅ ἐστι πλοῖον δίκροτον ὑπὸ Πολυκράτους πρῶτον παρασκευασθὲν τῶν Σαμίων τυράννου, ὡς Λυσίμαχος ἐν β' Νόστων. Τὸ δὲ πλάσμα Δούριδος. Οἱ δὲ τὴν Σάμαιναν νόμισμα εἶναι [1]). Qua magis inconcinna oratio vix reperiri potest. Tertiam explicationem habes etiam apud Plutarchum in vita Pericles c. 26. *οἱ δὲ Σάμιοι τοὺς αἰχμαλώτους τῶν Ἀθηναίων ἀνθυβρίζοντες ἔστιζον εἰς τὸ μέτωπον γλαῦκας* (scribe *γλαῦκα*)· *καὶ γὰρ ἐκείνους οἱ Ἀθηναῖοι σάμαιναν — πρὸς ταῦτα τὰ στίγματα λέγουσι καὶ τὸ Ἀριστοφάνειον ᾐνίχθαι κτἑ.* Eaque Bergkio potior visa est. Contra jam Fritzschius recte animadvertit bellum Samiacum nimis longo temporis intervallo a nostra comoedia distare; intersunt enim tredecim anni. Sed maxime vereor ut illa historiola, qua ea explicatio tota nititur, vera sit, quin haud parva spes est me ostensurum esse eam omni veritatis specie carere, licet apud Photium, Plutarchum, Aelianum [2]) legatur. Auctorem enim habuit Duris Samius, ut ipse indicat Photius [3]); quod cum minus perspiceret Bergkius (neque in tanta sententiarum confusione mirandum est), delapsus est ad conjecturam parum probabilem: *τὸ δὲ κόλασμα Δοῦρις* [4]). Sed mittamus Photium, nam ex ipso Plutarcho idem conficitur, quo simul luculentum notae eius *ἀκρισίας* exemplum proditur. Scribit enim ipse c. 28. *Δοῦρις δ' ὁ Σάμιος τούτοις ἐπιτραγῳδεῖ, πολλὴν*

---

1) *Τάττεται δὲ ἐπὶ τῶν δεδιότων τινὰς ἀνηκέστους κακῶν συμφορὰς παρ' ὅσον Ἀθηναῖοι τοὺς Σαμίους ἔστιξαν* addunt Suidas et Apostolius.

2) Var. Hist. II 9. *τούς γε μὴν ἁλισκομένους αἰχμαλώτους Σαμίων στίζειν κατὰ τοῦ προσώπου καὶ εἶναι τὸ στίγμα γλαῦκα, καὶ τοῦτο Ἀττικὸν ψήφισμα.*

3) Cf. Mueller. Fragm. Hist. Gr. II pg. 283, Hulleman de Duride Samio pg. 161. Hic autem per verba *τὸ δὲ πλάσμα Δούριδος* Duridem explodi dicit, quod versum nostrum Samiacum bellum respicere putaret.

4) De Duride tyranno cogitasse videtur.

ὠμότητα τῶν Ἀθηναίων καὶ τοῦ Περικλέους κατηγορῶν, ἣν οὔτε Θουκυδίδης ἱστόρηκεν οὔτ' Ἔφορος οὔτ' Ἀριστοτέλης. ἀλλ' οὐδ' ἀληθεύειν ἔοικεν κτἑ. Δοῦρις μὲν οὖν οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόςεστιν ἴδιον πάθος εἰωθὼς κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας, μᾶλλον ἔοικεν ἐνταῦθα δεινῶσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων. Cf. cum hoc judicio quae de eodem habet in vita Alcib. 32. ἃ δὲ Δοῦρις ὁ Σάμιος — προςτίθησι τούτοις — οὔτε Θεόπομπος οὔτ' Ἔφορος οὔτε Ξενοφῶν γέγραφεν· οὔτ' εἰκὸς ἦν κτἑ. Cf. et Eum. 1. Ages. 3. Tamen, quamvis tam bene quid eius auctoritati esset tribuendum cognitum haberet, et hic et saepius (Alex. 15. 46. Phoc. 4. 17. Demosth. 19. 23. Lys. 17) eam admisit; nam et haec neque Thucydides I 117 tradidit neque Ephorus neque Aristoteles; hic enim si talia memorasset, non ex eo Photius illam explicationem ex longinquo petitam protulisset, et ex Ephoro sua habet Diodorus [1]) quem vide lib. XII c. 28. Itidem c. 24 vitae Periclis non puduit eum causas belli Samiaci ad Aspasiam referre (Ἀσπασίᾳ χαριζόμενος δοκεῖ πρᾶξαι (Περικλῆς) τὰ πρὸς Σαμίους cf. cp. 25) quod ex eodem fonte derivatum esse docet Harpocratio s. v. Ἀσπασία. Quodsi nostro loco Plutarchus ei credidit, eius rei ea extitit causa, opinor, quod praeter calumnias, quas in Athenienses jactavit, Samiorum quoquo atrox facinus confessus est, scilicet ut id excusaret. Hinc Plutarchi error, qui noctuam et Samaenam confudit, unde profluxerit, sponte apparet, simulque orationis quaedam inconcinnitas. Nempe scripserat Duris, Athenienses, fortassis Pericle auctore,

1) Cf. Heynii commentationem III de fontibus Diodori Teubnerianae editioni praefixam. Diodorum etiam in enarrando Samiaco bello Ephoro auctore usum esse nullo negotio probari potest. Nam cp. 28 eiusdem libri omisso auctoris nomine sine ulla erroris suspicione narrat Periclem ad oppugnationem machinas adhibuisse quas Artemo construxisset. Hoc ab Ephoro profectum ab Heraclide Pontico refutatum esse docet Plutarchus l.l. c. 27.

captivis Samiis noctuam inurere coepisse, deinde Samios *ἀνθυβρίζοντας*[1]), (quo vocabulo Plutarchus nunc inopportune utitur, antequam quidquam de Atheniensium *ὕβρει* dixit) Atheniensibus Samaenam. Sed Plutarchus cum Samios priore loco commemoraret, credo ut Atheniensibus parceret, errorem commisit, qui facile ceterorum congruentibus testimoniis convincitur, quibus addas Suidam s. v. *Σάμη· εἶδος πάθους* (scr. *πλοίου* ex emendatione Cobeti) *Σαμιακοῦ· περιέστιξαν γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς ἁλόντας Σαμίων, μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Σάμιοι τοὺς Ἀθηναίους.*

Accedit quod res est eiusmodi ut non nisi gravissimis et fidissimis testibus quasi coacti et tamen vixdum eam agnoscere possimus, nunc autem cum contemptu rejiciamus. Jus gentium apud Graecos si cum nostris moribus contuleris, plane barbarum erat[2]), tamen tantae crudelitatis nisi maxime fallor non aliud extat exemplum quam quod tradit Plutarchus Vit. Nic. c. 29 *τῶν δ' Ἀθηναίων — οὐκ ὀλίγοι ἐπράθησαν, διακλαπέντες ἢ καὶ διαλαθόντες ὡς οἰκέται, καὶ τούτους ὡς οἰκέτας ἐπώλουν στίζοντες ἵππον εἰς τὸ μέτωπον.* Quod quamquam etiam Thucydidis auctoritate caret, tamen in Syracusanis, tantis casibus exasperatis, quodammodo credibile videtur neque ab eorum moribus plane abhorret; nunc autem quinam tam atroci crimine petuntur? Nempe Athenienses, qui se semper et in hac re et in ceteris omnium Graecorum longe humanissimos gesserunt[3]) atque hoc quidem duce Pericle, quem etiamnunc haud pauci ut tyrannum Athenis regnasse putant, in quem tamen talem sus-

---

1) Quamquam non credo hanc vocem Duridi deberi, qui rem potius ut justam ultionem ad quam Atheniensium crudelitas eos impulit, repraesentavit.

2) Xenoph. Cyrop. VII. 5. 73. *νόμος γὰρ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει καὶ τὰ χρήματα.* Cf. Plato. Rep. p. 471 A.

3) Cf. Oncken. Athen und Hellas I 60, II 109—129.

picionem cadere non posse omnes confitentur. Sed mehercle non haec sola est calumnia, quam homines mendacissimi et maledicentissimi, qualis fuit Duris, odio obcaecati, in Atheniensium democratiam temere jactaverunt, quae cuius sit pretii, severiore examine facile detegitur. Sed quod omnium est gravissimum, si Athenienses revera tale quid commisissent, nunquam inducar ut credam poëtam comicum post tot annos cives suos tali modo huius dedecoris commonefacere potuisse. Immo Aristophanem per haec verba Samios ludibrio habere voluisse manifestum est. Hac igitur explicatione prorsus abjecta, reliquas quas grammatici ex vetustioribus interpretibus prodiderunt, sub examen vocemus. Quarum altera tam absurda est, ut mirer eam a Sintenisio ad Plutarchi l.l. vel nominari potuisse. Dindorfius pg. 186 eam jam satis ab ipsis grammaticis refutatam esse dicit, quibus verbis Fritzschius, quorsum spectarent miratus, signum interrogationis apposuit. Pertinent autem ad verba *τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κέ. περὶ δὲ τοῦ πείσαντος ἱστορεῖ Θεόπομπος*, Rectissime Dindorfius grammaticos his verbis eam explicationem refellere intellexit, quod si non omnes viderunt, ideo id factum est, quia orationis partes pessime inter se cohaerent, ut jam dixi. Prima, quae restat Photii explicatio, quam solam probavisse videtur, prae se fert venerabile nomen Aristotelis, ita ut de facto dubitare non liceat, sed quominus in nostrum usum convertamus, obstat temporum ratio, nam Samiorum tyranni a nostrae fabulae aetate nimis longo intervallo remoti sunt. Quod tamen Fritzschius pg. 19 contra affert, poëtam hoc consilium laudaturum fuisse, qui scilicet Athenienses cum anno 406 idem fecissent, amplissima laude prosecutus sit Ran. vs. 694, id per se nihili est. Nam ut taceam neminem sibi minus con-

stare quam poëtam comicum, causa dissimilis est; interest enim aliquid utrum servos qui pro communi patria fortiter pugnaverint, libertate donaveris, ut fecerunt Athenienses [1]) an ignavissimum quemque paucis nummis depositis [2]) in ingenuorum numerum adscripseris. Hoc poëta Atheniensis jure exprobrare potuit, nam Athenis manumissi *μετοίκων* loco habebantur neque fruebantur *τῇ ἰσοπολιτείᾳ*. Sed omnino de servis nos cogitare vetat ipsa vox *πολυγράμματος*, qua servum noctua notatum vix indicari posse primus omnium recte statuit Kockius pg. 408. Babylonii illi non ut servi literati, sed ut barbari in cute variis formis et imaginibus distincti erant, id quod etiam proxima fragmenta declarant. Falluntur igitur grammatici, de recentiorum proverbio disserentes, omniumque maxime Michaël Apostolius qui Proverb. XVII. 25 addit *ἤτοι μαστιγίας ἐπὶ τῶν περιδείλων*, cum *στιγματίας* dicendum fuisset, et quidquid Fritzschius huic explicationi superstruxit, corruit neque quidquam nobis genuinum de hoc versiculo traditum est praeter glossam illam Hesychianam.

Hoc tantum apparet servos molitorios Babylonios chorum composuisse. Ad hos igitur tuto referas fragm. III (44) apud Hesychium: *Ἰστριανά· Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις τὰ μέτωπα τῶν οἰκετῶν Ἰστριανά φησιν, ἐπεὶ ἐστιγμένοι εἰσίν· οἱ γὰρ παρὰ τῷ Ἴστρῳ οἰκοῦντες στίζονται καὶ ποικίλαις ἐσθήσεσι χρῶνται. Διονύσιος δέ φησιν, ἐπεὶ πρότερός τις Ἰστριανὸς λέγεται ὁ λευκός, κατ' ἀντίφρασιν εἰρῆσθαι ὡς καθαρὰ καὶ λευκὰ τὰ μέτωπα, τοὐναντίον δὲ νοεῖσθαι ἐστιγμένα.* Dionysium illum Zopyrum fuisse aliquoties in scholiis laudatum, monuit Lobeckius.

---

1) Vide Xenoph. Hell. I. 6, 24. Arist. Ran. 33, 192 et Schol. ad 694.

2) Cum mancipiorum pretia inter 1 et 10 minas variarent neque domini minoris quam emerant manumittere solerent (cf. Becker. Charikles III. 14) apparet, quanti Samii libertatem aestimavissent.

Ex eius verbis apparet versiculum ad eundem modum conformatum fuisse ac praecedentem, ita ut verba ὡς Ἰστριανὰ τὰ μέτωπα quodammodo in senario locum haberent: in proxima igitur vicinia legebatur, ab eodem dictus. Dionysii explicationem falsam esse ostendit Fritzschius, allatis ex Herod. V. 6 his verbis: καὶ τὸ μὲν ἐστίχθαι εὐγενὲς κέκριται (apud Thraces.), τὸ δ' ἄστικτον ἀγενές.

Neque longe aberat vocabulum στίγων [1]) quod ex Babyloniis affert Photius pg. 538, 20 (fragm. IV. 46) quocum conjunctum fuisse videtur πέδων cf. Eustath. pg. 1542, 48. Huc fragmentum incertum LX 720: ἀνὴρ πεδήτης ἰτέαν ἐνημμένος traxit Bergkius pg. 974, quem miror Dindorfio ita imposuisse ut pg. 186 hanc probabilem conjecturam appellaret. Nam fallacibus eam fultam esse argumentis ostendere conabor. Scribit Eustathius l.l. οὕτω δὲ καὶ ὁ γράψας ὅτι στίγων καὶ πέδων δοῦλος ὁ στιγματίας καὶ πηδήτης παρὰ Ἀριστοφάνει, μετ' ὀλίγα λέγει ὅτι τριπέδων ὁ τρίδουλος, quae Bergkius ita intellexit quasi πεδήτης quoque ab Aristophane usurpatum fuisse dixisset grammaticus, quod ut indicaret eam vocem sicuti στίγων et πέδων dilatioribus typis excutiendam curavit. Sed quamvis πεδήτης apud Aristophanem occurrat, non de eo egit grammaticus sed de vocibus in -ων desinentibus ab aliis derivatis [2]), quod lucide apparet ex iis quae sequuntur. Στίγων autem explicavit per στιγματίας [3]) et πέδων per πεδήτης; quodsi Bergkium secuti erimus, στιγματίας ad utrumque referamus necesse est, quod fieri non potest. Neque erat cur πεδήτης

---

1) Legebatur στιγών quod correxit Dindorfius.

2) Quorum exempla multa congessit Fritzschius ad hunc locum pg. 22. Omisit quod nostro simillimum est, κέντρων. cf. Soph. fr. 309 (ex dramate satyrico Cedalione) μαστιγίαι, κέντρωνες, ἀλλοτριοφάγοι. Cf. Ar. Nub. 450.

3) Cf. pg. 725, 22 στίγων, εἴτουν στιγματίας.

explicaret, quo usi sunt Lucianus Cronos. c. 1, Jov. Confut. c. 8, Plutarchus Mor. pg. 165 D. Galenus vol. 13 pg. 271 quodque Callias, et fortasse etiam Crates fabulam inscripsit. Peperit hunc errorem, nisi fallor, prava interpunctio, quam Bergkius non typis quidem expressit sed tamen inter legendum observasse videtur post *στιγματίας*, quo factum est ut verba *παρὰ* Ἀριστοφάνει cum *πεδήτης* conjungeret, quae ad *στίγων* et *πέδων* referenda sunt. Jam vides quo jure Passovius in lexico verbum illud legi dicat in Aristophanis fragmento apud Eustathium l.l. cum alium Eustathii locum, ubi revera legitur, nempe in illo versiculo quem ex nostra fabula haustum esse Bergkius infeliciter conjecit, i. e. pg. 911, 63, omiserit. Verum malum ne hic quidem constitit, sed etiam latius vagatum est, nam in novissima fragmentorum comicorum editione quam curavit Kockius, idem versiculus pg. 209 sub numero 65 Babyloniorum reliquiis insertus est. Jure Fritzschius hac conjectura abstinuit, ceteroquin pronus ad tales suspiciones; exemplum in promptu est nam cum superioribus fragmentis conjunctum esse vult fragmentum incertum CCXXV 656 apud Poll. II 180 *καὶ νωτοπλῆγα τὸν μαστιγίαν* Ἀριστοφάνης *ἐκάλεσεν*, quod in medio relinquere malo, cum me Dindorfius admonuerit, fortasse erratum esse in nomine poëtae; nam ex Pherecratis Crapatalis trimetrum *καὶ νωτοπλῆγα μὴ ταχέως διακονεῖν* affert Photius pg. 306, 25.

Ex eadem fabulae parte, quam chori parodum proxime insecutam esse suspicor[1]), mihi videtur trimeter sumtus esse quem servavit Suidas s. v. *ἀσπιδηφόροι* et omisso fabulae nomine Scholiasta ad Lysist. vs. 282 *ἐφ' ἑπτακαίδεκ' ἀσπίδας: ὅτι τὰς τάξεις ἀσπίδας ἔλεγον, καὶ αὐτὸς πάλιν* Ἀριστοφάνης *ἐν* Βαβυλανίοις (fragm. VIII, 47)

---

1) Eodem modo in Acharnensibus statim post parodum ad trimetros reditur.

ἵστασθ' ἐφεξῆς πάντες ἐπὶ τρεῖς ἀσπίδας.

Nomen fabulae ut explicarent Fritzschius pg. 18 et Bergkius pg. 969 usi sunt verbis Hesychii. *Βαβυλώνιοι· οἱ βάρβαροι παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς.* et Luciani Pisc. c. 19 *οὐχ ἧττον ἐμοῦ βαρβάρους τὸ γένος· ὁ τρόπος δὲ καὶ ἡ παιδεία οὐ κατὰ Σολέας ἢ Κυπρίους ἢ Βαβυλωνίους ἢ Σταγειρίτας*, unde tamen non multum proficimus, neque quod illi volunt, Luciani verba Babylonios pro barbaris dictos esse declarant, sed potius eos a Graecis ipsis inter eas gentes habitos esse, quae secum aliqua affinitate conjunctae essent, quod fortasse plus prodest, siquis investigare velit, cur poëta hos potissimum elegerit; quod ego, ne vanam operam perdam, omittam, quia in hac re comici maxime pro libitu egerunt. Sed utut haec sunt, tantum ex iis locis discimus, fragmentum VII, 45 (Phot. pg. 546. 4)

ἦ που κατὰ στοίχους κεκράξονταί τι βαρβαριστί.

(quae fortasse melius per signum interrogationis efferentur) de iisdem Babyloniis dictum esse. „Dicit autem haec aliquis, qui expectat chorum Babyloniorum in quattuor ordines dispositum (nam huc pertinet illud *κατὰ στοίχους*) barbarum aliquod carmen prolaturum esse." Sic Bergkius, Pollucis nisi fallor auctoritatem secutus, qui IV 109 sic scribit: *ὁ δὲ κωμικὸς χορὸς τέτταρες καὶ εἴκοσιν ἦσαν οἱ χορευταὶ, ζυγὰ ἓξ, ἕκαστον δὲ ζυγὸν ἐκ τεττάρων, στοῖχοι δὲ τέτταρες, ἓξ ἄνδρας ἔχων ἕκαστος στοῖχος*, quae fortasse in universum vera sunt, sed tamen propter superius fragmentum chorum in tres ordines dispositum fuisse credo. Hunc versum praecedentes quos adhuc examinavimus secutum esse, haud improbabiliter vel ex metro conjicias; nam chori parodus cum mutatione metri semper conjuncta est; septenarios jambicos habes etiam in parodis Vesparum, Lysistratae, Pluti. Jure autem Kockius Bergkium perstrinxit, cum de chori cantici cogitaret: „nam quis barbarum carmen intel-

ligeret! Aeschyli enim Persae non canunt *βαρβαριστί*." Meliora dare non habeo, nam quae Fritzschius docet pg. 24, comprobata, ut videtur, a Kockio pg. 412, in posterioribus refutare studebo; nunc propero ad aliud fragmentum. Harpocratio s. v. *ἐπιβάτης* servavit fragm. XI 51:

εὖ γ' ἐξεκολύμβησ' οὑπιβάτης, ὡς ἐξοίσων ἐπίγυιον.

Legebatur *ἐξεκολύμβησεν ἐπιβάτης* quod correxit Porsonus. In scriptura ultimi vocabuli Dindorfium secutus sum, quem vide. Codicum *ἐπίγυον* probat Kockius; olim *ἐπίγειον* quod in aliis est, vulgata lectio erat. Eodem verbo Aristophanes usus est in Holcadibus, fragm. XXIV 371, ubi codices eodem modo variant. Hoc versu parabasin exorsam esse putat Fritzschius pg. 12, laudatis Acharn. vs. 626, 627, quae, quamvis incerta, non tamen improbabilis est conjectura. Idem rem per hemicyclium et stropheum repraesentatam esse opinatur, de quibus Pollux IV. 132. *τῷ δὲ ἡμικυκλίῳ τὸ μὲν σχῆμα ὄνομα, ἡ δὲ θέσις κατὰ τὴν ὀρχήστραν, ἡ δὲ χρεία δηλοῦν πόρρω τινὰ τῆς πόλεως τόπον ἢ τοὺς ἐν θαλάττῃ νηχομένους. ὥσπερ καὶ τὸ στροφεῖον, ὃ τοὺς ἥρως ἔχει τοὺς ἐς τὸ θεῖον μεθεστηκότας, ἢ τοὺς ἐν πελάγει ἢ πολέμῳ τελευτῶντας.* Kockius a. h. l. poëtam figurate locutum esse dicit. Aliquanto rectius Bergkius pg. 975 in scena navi vectos exhibitos esse statuit, nam plura supersunt fragmenta rem nauticam spectantia, quod casu accidere non potuit. Idem fecit Cratinus (v. *Ὀδυσσεῖς* fr. I. II) ipseque Aristophanes Ran. v. 185 ss. Jam inspiciamus fragmentum XIV 69 apud Photium pg. 288, 24: *ναυλοχεῖν, ναῦς λοχᾶν καὶ ἐνεδρεύειν· — καὶ ναυλόχιον ὁ τοιοῦτος τόπος, ᾧ λιμένες ἔνεισιν· ναυλόχιον ἐν τῷ μέσῳ, Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις.* Polluc. XI. 28: *καὶ ὅρμος δὲ καὶ κρηπίς, νεώρια, νεώσοικοι, καὶ ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις, ναυλόχιον.* Pars est jambici trimetri, et mihi quidem sumpta esse videtur ex iis quae parabasin proxime

antecedebant. Deinde Photius pg. 490, 19 haec habet (fragm. IX. X. 60): ῥόθιον, τὸ μετὰ ψόφου κῦμα· ἢ ῥεῦμα· σημαίνει καὶ τὴν εἰρεσίαν· καὶ ῥοθιάζειν, τὸ ἐρέσσειν ἐντόνως· Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις· κ α τ ά γ ο υ ῥ ο θ ι ά ζ ω ν φησὶν καὶ πάλιν·

ναῦς ὅταν ἐκ πιτύλων ῥοθιάζῃ σώφρονι κόσμῳ.

Utrumque versum qui ex eodem loco haustum esse putaverunt, similitudine metri decepti sunt, quod tamen in neutro pro certo definiri potest. Prius autem noli ad anapaestica vel dactylica metra referre sed ad jambos, cum Fritzschio pg. 43, qui fragmenta XIV et IX, quamquam ipse dubitabat, meo judicio aptissime ita conjunxit, ut integer fieret senarius:

κατάγου ῥοθιάζων· ναυλόχιον ἐν τῷ μέσῳ.

quod quamquam a Kockio improbatum, mihi quidem multo magis arridet, quam ipsius inventum, quod mox commemorabo. Quod ad alterum fragmentum attinet, potest et versus heroicus integer et tetrametri anapaestici pars posterior esse, neque habeo utrum elegam. Ῥοθιάζειν de remigibus usurpari solet, cf. Hermippi fr. 54:

ὥρα τοίνυν μετ' ἐμοῦ χωρεῖν τὸν κωπητῆρα λαβόντα
καὶ προσκεφάλαιον, ἵν' εἰς τὴν ναῦν ἐμπηδήσας ῥοθιάζῃς.

et Cratini fragm. 280 apud Athen. I p. 23 b: Κρατῖνος ἐπὶ ἐρετῶν χρῆται τῇ λέξει· ῥοθίαζε κἀνάπιπτε. Non tamen opus est corrigere cum Bergkio ναῦν — ῥοθιάζῃς, nam cum nihil significet nisi strepitum, non video cur non de nave dicatur. Cf. Hesychium ad quem Bergkius frustra provocat: Ῥοθιάζειν· ἐλαύνειν, ἀ π ὸ τ ο ῦ ψ ό φ ο υ τ ῆ ς ε ἰ ρ ε σ ί α ς. De porcellis avide projectos cibos devorantibus Arist. Acharn. 807: οἷον ῥοθιάζουσ', ὦ πολυτίμηθ' Ἡράκλεις. Postremo verbum nau-

ticum ex nostra fabula affert Antiatticista Bekkeri I 80, 14 (fragm. XIII 65): ἀλυκόν· ἀντὶ τοῦ ἁλμυρόν. Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις [1]). Cf. ibid. p. 383, 20 et Hesychium: ἀλυκόν· ἁλμυρόν. Sed quod omnes eodem traxerunt, fragmentum XII 61: ἐς τὸν λιμένα, non debet cum his conjungi; est enim proverbium. Hesychius: ἐς τὸν λιμένα· εἰς τὸν λιμένα. Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις. παρὰ τὴν παροιμίαν· Ἀττικὸς εἰς λιμένα. οἱ γὰρ Ἀθηναῖοι ἐντόνως ἤλαυνον καταπλέοντες, διὰ τὸ θεωρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἐκ τῆς γῆς. Photius pg. 22, 7: ἐς τὸν λιμένα· ὅταν γὰρ ὁρῶνται ἀπὸ τῆς πόλεως, σφοδρότερον ἐρέσσουσιν, ὅθεν παροιμία κατὰ τὸ ἐλλιπές, Ἀττικὸς ἐς τὸν λιμένα. λείπει γὰρ ἰσχυρός. Ex Hesychii verbis apparet etiam Aristophanem ea verba proverbii loco usurpavisse, neutiquam igitur navigationem spectabant, et vanum est quod conjecit Kockius, fragmenta XII et IX ita conjungenda esse

.... κατάγου δ' ἐς τὸν λιμένα ῥοθιάζων.

In parabasi omnium consensu locum habuit fragmentum XXVII 50. Schol. Av. 1556: Πείσανδρος .... καὶ δωροδοκῆσαί φησιν αὐτὸν Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις διὰ τούτων·

ἢ δῶρ' αἰτοῦντες ἀρχὴν πολέμου πορίσειεν μετὰ Πεισάνδρου.

Verba leviter corrupta mirum quot modis tentata sunt. Πορίσειαν correxit Berglerus, quo accepto Hanovius Exercit. Crit. pg. 79 verba sic disposuit

ἢ δῶρ' αἰτοῦντες ∪ — ∪∪ — ἀρχὴν πολέμου πορίσειαν
μετὰ Πεισάνδρου.

Dindorfius αἰτοῦντες mutavit in αἰτῶν, probante Fritzschio, nisi quod δωροδοκῶν praestare existimat. Id ipsum autem

---

1) Dindorfius olim ἁλικόν corrigere voluit, sed in editione poëtarum Scenicorum hoc omissum est.

conjecit V. Cl. Cobetus in Obs. ad Plat. pg. 128 scribens

ἢ δωροδοκῶν ἀρχὴν πολέμου μετὰ Πεισάνδρου πορίσειεν.

eodemque modo Bergkius et Kockius, nisi quod δῶρ' αἰτῶν retinere maluerunt. Fritzschii et Cobeti ratio optima est, nam αἰτοῦντες vel αἰτῶν sententiae repugnat. Omnes conferri jusserunt Ran. v. 354 ss. Nostrum locum in mente habuit Scholiasta ad Lysistr. 490: Πείσανδρος· κωμῳδοῦσι δὲ αὐτὸν καὶ ὡς δωροδόκον, ὡς καὶ ἐν Βαβυλωνίοις Ἀριστοφάνης, quo ipso conjectura δωροδοκῶν stabilitur. De Pisandro comicorum locos congesserunt Meinekius I pg. 176 et Cobetus l. l. Est autem haec antiquissima hominis mentio. Lysiclem demagogum notari putavit Mueller-Struebingius pg. 588 adn. quod cum in solo vocabulo πορίσειεν nitatur, cum scilicet Lysicli cognomen ποριστής fuisse suspicetur sit (pg. 587), nimis subtile est. Eodem metro conceptum est fragmentum XXVIII 52 apud Ammonium pg. 149: χόλικες· αἱ τῶν βοῶν κοιλίαι. Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις·

ἢ βοιδαρίων τις ἀπέκτεινε ζεῦγος χολίκων ἐπιθυμῶν.

Eadem grammatici in Etym. Gud. p. 640, 44 et in Bachmanni Anecd. II p. 381, 10 nisi quod ζεῦγος omittunt. Dindorfius βοιδαρίοιν scripsit, quem refellit Fritzschius pg. 13. „Non repugno quominus hic quoque versus ad parabasin referatur, sed artissime cum superiore fragmento conjunctum esse non credo. Obstat enim modorum discrepantia (πορίσειεν — ἀπέκτεινε)." Ita rectissime Kockius pg. 413. Nam Ranarum parabaseos alia ratio est, quamquam externa quadam similitudine cum his fragmentis convenit, quod Dindorfium in errorem induxit, magisque etiam Fritzschium pg. 14, qui primus haec duo fragmenta conjuncta esse voluit.

Primarius locus est apud Athenaeum XI pg. 494 D (fr. XVIII 48), ex quo solo unam tamen personarum comoediae

cognoscimus: Κἂν τοῖς Βαβυλωνίοις οὖν τοῖς 'Αριστοφάνους ἀκουσόμεθα ποτήριον τὸ ὀξύβαφον ὅταν Διόνυσος λέγῃ περὶ τῶν 'Αθήνησι δημαγωγῶν, ὡς αὐτὸν ᾔτουν ἐπὶ τὴν δίκην ἀπελθόντα ὀξυβάφω δύο. οὐ γὰρ ἄλλο τι ἡγητέον εἶναι ἢ ὅτι ἐκπώματα ᾔτουν. In quibus senarii reliquias facile deprehendimus, quem reconstruere conati sunt Fritzschius pg. 26 et Kockius pg. 410 quorum hic

ᾔτουν δ' ἐμέ
ἐπὶ τὴν δίκην ἄγοντες ὀξυβάφω δύο.

alter autem

ᾔτουν δέ με
ὅτ' ἐπὶ δίκην ἀπῆλθον, ὀξυβάφω δύο.

quod mihi quidem magis placet. Audimus igitur Bacchum, se a viris popularibus in jus protractum esse conquerentem et quas ibi injurias passus sit referentem. Hinc praecipuas quasdam Bacchi partes fuisse confecit Dindorfius, et Fritzschius pg. 27 eum πρωταγωνιστήν fuisse putat, quod cur probem infra pluribus ostendam. Sed vide nunc quam mirifice sibi contradixerit vir egregius. Nam de insulis, quas Babyloniorum speciem indutas personatas in scenam prodiisse eum conjecisse supra vidimus pg. 5, ipse scribit pg. 25. „Hos igitur Babylonios, cum multi tanquam unius locum explerent, primas partes egisse arbitror." Hoc est. nisi fallor, chorus cum suo coryphaeo praeter chorum, qui ex optimatibus constitit; quod cum per se absurdum sit, quomodo Fritzschius cum Baccho protagonista conciliaverit, quaerere supersedeo. Nihilominus tamen idem vir doctissimus nullam aliam ob causam „Babylonios ac Ranas quantumvis longo disjunctas spatio in multis tamen partibus communi vinculo conjunctas fuisse" conjecit, „cuius rei alia quoque eaque sat idonea monumenta habemus." Quam vellem ipse ea nobis indicasset, quae nunc latent ac semper nobis ignota fore cum dolore suspicor. Nisi

forte fragmentorum XXVII et XXVIII cum Ranarum parabasi similitudinem intellexit, quam nullam esse supra dixi [1]).

Bacchus autem quomodo ab antiqua comoedia repraesentetur non opus est demonstrare. Cum Hercule proprium habebat χαρακτῆρα; ob voracitatem et ingenii stoliditatem hic, ob nimium pavorem ille perstringebatur, cf. Diogen. Laërt. VII 5 εἰπὼν (Sositheus histrio) ἄτοπον εἶναι τὸν μὲν Διόνυσον καὶ τὸν Ἡρακλέα Φλυαρουμένους ὑπὸ τῶν ποιητῶν μὴ ὀργίζεσθαι, κτέ. Herculem ex Avibus, Bacchum ex Ranis cognoscimus; pertinet autem hoc ad πονηρὰ καὶ ἀγοραῖα σκώμματα, quibus Musa Aristophanea abstinuisse se gloriatur quidem (Nub. 537 ss. Vesp. 55 ss. Pac. 739 ss. Ran. init.), non tamen idcirco omnino abstinuit. Cf. Schol. ad Pac. 741: αἰνίττεται δὲ ταῦτα εἰς Εὔπολιν, ὃς ἐποίησεν Ἡρακλέα πεινῶντα καὶ Διόνυσον δειλὸν καὶ Δία μοιχὸν καὶ δοῦλον κλαίοντα. τινὲς δέ Φασιν εἰς Κρατῖνον αἰνίττεσθαι, ὡς τοιαῦτα ποιοῦντα δράματα. ἐπεπόλασε δὲ ταῦτα τότε τὰ λήμματα. καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Ἀριστοφανης ὡς γαστρίμαργον τὸν Ἡρακλέα κωμῳδεῖ καὶ ἐν Ὄρνισι καὶ ἐν Αἰολοσίκωνι. Bacchus igitur quin eodem modo in Babyloniis exhibitus sit nullus dubito. Venit Athenas festo ipsius die, ut communis hilaritatis particeps esset, atque in eius comitatu Babylonios illos venisse suspicor; ibique nescio quid molitus rem habuit cum demagogis: verum moneo hoc verbum deberi Athenaeo non Aristophani, apud quem non obvium est, sed δημαγωγία Equit. 191, quod idem valet ac ἐπιτροπεύειν τὸν δῆμον (ibid. 212 et 426) et δημαγωγικά (Equ. 217) et δημαγωγεῖ (Ran. 419

1) Non melioris notae est quod Babylonios et Insulas Aristophanis itidemque Eupolidis Δήμους et Πόλεις magna necessitudine haud dubie contineri dicit pg. 21, vel pg. 16 inter Aristophanis et Eupolidis dramata multum similitudinis interfuisse videri, ubi frustra quaeras utrum haec in universum an de Babyloniis et Ἀστρατεύτοις dicta sint.

de Archedemo, homine satis obscuro). Apud Thucydidem semel occurrit IV 20, 3 de Cleone, ubi synonymum est cum *τῷ πλήθει πιθανώτατος*, ut et hic et III 36, 6 eum appellat. Apud vetustiores enim nulla vituperationis notio inerat huic vocabulo, quod ipsa eius infrequentia ostendit; recte Classenius ad Thucydidis l.l. confert. II 65, 8 *οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπὸ τοῦ πλήθους ἢ αὐτὸς ἦγε*, quod de Pericle dictum est. Sed jam Aristotelis aetate eandem fere vim habebat qua etiam hodie viget. Cf. Polit. V 5, unde satis apparet, eam sibi falsissimam de Atheniensium utique demagogis imaginem finxisse; nam ab iis omnes fere democratias eversas esse dicit, utpote qui tyrannidi semper studebant, quorum exemplum citat Pisistratum. Quod ipse suaviter risisset Aristophanes, cf. Equ. 447—449. Vesp. 488—502 Av. 1074. Athenis qui rempublicam capessebant, populi partibus favebant omnes, aut certe se favere simulabant, neque eorum agitationes neque populi levitas, sed solae optimatium machinationes et proditiones, *ξυνωμοσίαι* et *ἑταιρεῖαι* Atheniensium rempublicam perdiderunt, quod hodie paulatim omnes agnoscere coeperunt. Antiqua autem comoedia eodem fere munere fungebatur quo apud nostrates ille qui haud absurde nomen ab rege diabolorum Asmodeo mutuatus est, vel quo apud Anglos lepidissimus ille nannus cui quinque elementa nomen dederunt, si quidem vera commenti sunt qui verbum „Punch" ab eo quod est *πέντε* derivaverunt; itaque quisquis Athenis innotescebat, is comoediae ludendi et vituperandi materiem dabat, prae ceteris autem qui in concionibus verba facere solebant quique populi favore innixi publicis rebus praeerant vel sine magistratu; qui illis temporibus non *δημαγωγοί* sed *ῥήτορες* dicebantur, quod vocabulum apud Aristophanem frequentissimum est, vid. Acharn. 38, 680. Equ. 60, 323 358, 425, 880, 1350; cf. Eupolidis fragmentum nobilissi-

mum apud Schol. Acharn. 529 (quo vides in eorum numero etiam Periclem habitum esse) [1]) Isocr. de Pace passim (inprimis §§ 122—129) Schol. Aristid. p. 444 D. (Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ). In nostra igitur fabula Baccho litem intentatam esse videmus a viris popularibus, quibus non pepercisse poëtam consentaneum est. Inter eos Fritzschius pg. 38—42 Eucratem, Lysiclem, Calliam fuisse putat, non alio usus testimonio quam Equitum vv. 129 ss. cum Scholiis. Quae conjectura tam arbitraria est, ut neque defendi neque refelli possit, sed utique incertissima est. At Kockius ad Equitum l.l. dicit Eucratem ab Aristophane jam in Babyloniis irrisum fuisse („A. hatte ihn schon in den Babyloniern verspottet") cuius rei praeter Fritzschium nemo extitit auctor. Tamen multis probata esse videtur, nam Mueller-Struebingius pg. 59 haec scribit: „in Babyloniis Aristophanes socios tanquam servos molitorios exhibuit, ut ait E. Curtius — addi solet, i n m o l a E u c r a t i s, quo jure, nunc non quaeram, sed eodem utique jure quo Curtius molitorios dicit, nam utraque conjectura eadem nititur suspicione." Hoc non ex omni parte verum est, nam de molitoriis illis ex Hesychio constat ut supra vidimus pg. 7, de Eucrate nemo veterum scriptorum quidquam tradidit, sed utrumque confudit idem Fritzschius pg. 20. Ceterum Mueller.-Struebingius h. l. cautius rem egit quam pg. 578 ubi Eucratem eo tempore quo Babylonii acta est magistratu functum esse suspicatur. Lysiclem tunc tertio jam anno occisum esse ipse monuit Fritzschius pg. 41 (Cf. Thuc. III 19). Scholiasta autem ad Acharn. 377 *ἐκωμῴδησε*, inquit, *τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα.* quem obiter tantum ac leviter perstrictum esse dicit Fritzschius, sed opinionem suam falsis defendit argumentis:

---

1) Cf. Mueller.-Struebing. pg. 75—105.

poëtam non nisi semel dedita opera impetum in Cleonem fecisse, ut ipse testetur Vesp. 62, Nub. 546, atque Cleonem tunc temporis non ita clarum fuisse, quod facile redarguitur iis ipsis Thucydidis locis quos Fritzschius evolvi jubet III 36, IV 30. Aspere et animose Aristophanem in potentem inimicum invectum esse putant Bergkius et Dindorfius, quem omnino in ea fabula exhibitum fuisse plane negat Mueller-Struebingius, atque suo jure, cum illi idonea argumenta afferre omiserint. Scholiastae enim nulla est auctoritas [1]), et Fritzschius frustra est qui Vesp. vs. 1285 ss. laudat, nam ii non ad Babylonios pertinent, ut infra ostendam. Verum etiam quo ipse Mueller-Struebingius usus est argumento, Cleonis nomen in reliquiis nusquam apparere cum tamen propter notum Acharnensium locum (versum 502 dicit, opinor) grammaticis paene necesse esset illos locos laudare, siqui fuissent ubi Cleon irrideretur, id fallax est. Nam omnes qui nobis Babyloniorum disjecta membra servaverunt praeter unum Athenaeum, eam fabulam nunquam vidisse contendo, quod unicuique statim apparebit qui eorum testimonia diligenter examinaverit, et confirmari potest Suidae verbis pg. 171 Bekk. *ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα, ταῦτα· Ἀχαρνεῖς* etc. (sequuntur omnes superstites comoediae) ubi vide Hemsterhusii explicationem. Ipse cur Cleonem in nostra quoque fabula acriter traductum esse censeam, exponam: constat ex Acharn. vs. 640 poëtam de sociorum condicione egisse ita ut eam sub democratia pessimam esse ostenderet; anno autem superiore capta Mytilene Athenienses auctore Cleone omnium popularium facile principe durum illud psephisma de Lesbiis tulerunt; itaque quomodo comicorum acerbissimam censuram *ἐπειδὴ λαβὴν δέδωκεν*, effugere potuerit, non capio.

---

1) Etiam verba *καὶ Κλέωνα* omittit vitae scriptor XI 30.

Sed Cleonem jam mittamus et ad Bacchum revertamur, quem timidum ea verba pronuntiasse mihi suborta est suspicio, quae leguntur in Etym. Magn. p. 311, 1 (fragm. XVI 56) ἐγκινούμενος· Βαβυλωνίοις Ἀριστοφάνης·

ἀνήρ τις ἡμῖν ἐστιν ἐγκινούμενος

ῥητορική. ταράττων καὶ ἐμποδίζων. Eadem praebet vetus lexicon apud Henr. Stephanum in Thesauro vol. 3 pg. 82. Suevernius in commentatione de Avibus pg. 29 Gorgiam Leontinum designari putavit laudata Jacobsii conjectura ῥήτωρ εἰκῇ ταράττων quam bene refellit Dindorfius ed. Ox. II pg. 544. Breviter enim dictum est pro ἔστι δὲ ῥητορικὴ ἡ λέξις. De Gorgia proximo capite dicetur. Causa dicta sive in ipsis comitiis sive coram senatu, Bacchum reducem de eius exitu spectatores longiore oratione certiores fecisse, ut in Equitibus Agoracritum audimus vv. 624—682 verisimillimum est, et ad eam orationem Dindorfius probante Fritzschio pg. 53 et de Daetal. pg. 122 cum omni probalitatis specie refert fragmentum XV 49 apud Athen. III pg. 86 f. τὰς δὲ κόγχας ἔστιν εὑρεῖν λεγομένας καὶ θηλυκῶς καὶ ἀρσενικῶς. Ἀριστοφάνης Βαβυλωνίοις

ἀνέχασκον εἷς ἕκαστος ἐμφερέστατα
ὀπτωμέναις κόγχαισιν ἐπὶ τῶν ἀνθράκων.

ubi cum Kockio scribendum ἐμφερέστατοι. De populo Atheniensi Gorgiae eloquentiam stolide admirante hariolatus est Bergkius pg. 977. Ex eadem oratione mihi sumpta videntur verba ἐννεύει με φεύγειν οἴκαδε [1]), servata a Prisciano 18 pg. 202 ed. Krehl. (II pg. 309 ed. Hertz): Aristophanes in Babyloniis ἐννεύει κτέ. nos quoque similiter „annuit [2]) me fugere domum." Et ad dativum dicunt tam illi

---

1) Fragm. XXIII 58.

2) Quia annuendi verbum non convenire animadvertit cum Graeco ἐννεύειν, Fritzschius pg. 45 ἐπινεύει conjecit. Contra apud Dindorfium nunc scriptum

quam nos, ἐννεύει μοι ποιεῖν, „annuit mihi facere.” Accusativum habs apud Luc. Dial. Meretr. XII 1: Πυραλλίδα δὲ ὅσον ἐνένευες; dativum autem Evangel. Lucae I 62: ἐνένευον δὲ τῷ πατρὶ αὐτοῦ. Utrumque locum congessit Fritzschius pg. 45. Sed verba perdit, ubi illud ἐννεύειν barbarorum linguae tribuendum esse censet; nam etiamsi mea de his verbis conjectura falsa esset, annuendi tamen verbum saepissime usurpatur ne quarta loqui persona laboret, cf. Acharn. 113, 115, 513. Pac. 658 ss. Unum judiciale verbum nobis servavit Photius pg. 347, 27 (fragm. XXXV 70) ὁρκωμοτεῖν· τὸ ὀμνύναι· 'Αριστοφάνης Βαβυλωνίοις; est autem vox tragica cf. Aesch. Sept. 46. Eum. 746, Soph. Ant. 265, Eurip. Suppl. 1190 quas locos Kockio debeo. Postremo ad eandem Bacchi causam auctore Bergkio pertinere videtur fragmentum XIX 53 apud Polluc. X 85 οἱ κότυλοι ὅτι καὶ ἀργυροῖ ἐγίνοντο ἱκανὸς μηνῦσαι 'Αριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις εἰπών·

A. δεῖ διακοσίων δραχμῶν.
B. πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν; A. τὸν κότυλον τοῦτον φέρε.

Librorum γένοιτ" correxit Brunckius. Athen. XI p. 478 b τὰ μόνωτα ποτήρια κότυλοι .... καὶ Πλάτων ἐν Διὶ κακουμένῳ „τὸν κότυλον φέρει” φησὶ καὶ 'Αριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις. Ubi Schweighaeuserus Aristophanis, Fritzschius Platonis verba excidisse putat „sine justa causa” ut ait Bergkius pg. 979. Nam Fritzschius propter Platonis locum quem servavit idem Athenaeus XV 666 e, ita judicibat, qui locus lege-

---

video „innuit”, quod qua auctoritate fecerit nescio. Codices certe omnes repugnant. Verum uterque non attendit, Priscianum illud tantum egisse ut duplicem constructionem annuendi verbi Graeco exemplo illustraret, quod ei licebat etiamsi verba „annuere” et ἐννεύειν non ad amussim convenirent. Accusativum cum infinitivo annuendi verbo jam subjunxit Ennius; contra verbum innuendi et rarius omnino et cum dativo tantum usurpatum esse videtur.

batur in eadem fabula; adsunt in scena Hercules, mulier, leno:

Herc. παίζωμεν δὲ περὶ φιλημάτων.
Leno. (Ἰδοὺ φιλημάτων.) ἀγεννῶς οὐκ ἐῶ
Παίζειν. τίθημι κοττάβεια σφῷν ἐγὼ
Τασδί τε τὰς κρηπῖδας, ἃς αὕτη φορεῖ,
Καὶ τὸν κότυλον τὸν σόν.

Exscripsi locum ut eum sanavit V. Cl. Cobetus Observ. pg. 97 ss. Nihil autem obstat quominus et alterum locum in eadem fabula lectum esse credamus et rectissime Cobetus l. l. eum dici animadvertit de puella cui primum pignus quod posuerat Hercules victrici cesserat. Scribendum tamen censeo apud Athenaeum τὸν κότυλον φέρε; manifestum enim est eum hoc dicere, ea verba et apud Platonem et apud Aristophanem inveniri; apud illum igitur Herculi tribuenda sunt. Duobus illis fragmentis collatis non possum non suspicari etiam in Babyloniis aliquem, Bacchum ipsum opinor, cottaborum ludo victum poculum oppignerasse. Verum hoc in medio relinquere tutius est; certius illud videtur in nostra comoedia convivium celebratum esse, cf. fragm. XX, XXI 54 apud Polluc. X 173: ἀλλὰ μὴν τῷ στεγαστῆρι ὀρόφῳ προςήκοιεν ἂν καὶ οἱ στρωτῆρες καὶ τὰ καλυμμάτια, ἄμφω δ' ἐν Ἀριστοφάνους Βαβυλωνίοις·

Πόσους ἔχει στρωτῆρας ἀνδρῶν οὑτοσί;

καὶ αὖ πάλιν·

ὡς οὐ καλυμματίοις τὸν οἶκον ἤρεφεν.

ἀνδρῶν pro ἀνδρῶν correxit Dindorfius, quod cur Fritzschius damnarit nescio. In altero versu Kockius Bergkii conjecturam ὡς εὖ recepit, sed de suo proposuit πῶς οὐ, „qui factum est ut," quod dijudicare non possumus quia contextum non novimus. Conferenda sunt quae docent Harpocratio στρωτήρ: — τὰ ἐπάνω τῶν δουροδόκων τεθέμενα στρω-

τῆρας ἔλεγον, ὡς φησι Δίδυμος. ἔστι τοὔνομα καὶ ἐν Βαβυλωνίοις Ἀριστοφάνους.[1]) et Photius pg. 125, 18. καλύμματα (recte Fritzschius καλυμμάτια): ἅ τινες φατνώματα· οὕτως Ἀριστοφάνης. Bekk. Anecd. I pg. 302, 5, Etym. Magn. p. 731, 7. Οἶκος autem et ἀνδρών conclave designant ubi coenatur, id est triclinium cf. Poll. I 79 οἶκος τρίκλινος, πεντάκλινος ἢ δεκάκλινος. Plut. Sympos. V 5, 2 κατασκευάζοντες οἴκους τριακοντακλίνους καὶ μείζους. Xenoph, Symp. I 13 ὁ δὲ στὰς ἐπὶ τῷ ἀνδρῶνι ἔνθα τὸ δεῖπνον ἦν. cf. § 4. Aristoph. Eccles. 676:

ΒΛ. — τὸ δὲ δεῖπνον ποῦ παραθήσεις;
ΠΡ. τὰ δικαστήρια καὶ τὰς στοιὰς ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω.

Ad nostrum locum illustrandum multum juvat Vesp. 1214:

ἐπεὶ ἐπαίνεσόν τι τῶν χαλκωμάτων
ὀροφὴν θέασαι· κεκρά δι' αὐλῆς θαύμασον κτέ.

etiam Lucian. de Domo cp. 2 confert Fritzschius.

Haec fera sunt eaque admodum pauca, quae ex fragmentis de comoediae argumento et ratione colligi possunt; quae si sub uno conspectu conlocaris, habes chorum Babyloniorum molitoriorum, litem Bacchi cum demagogis, navigationem, convivium, omnia tam male congruentia, ut desperandum sit fore ut unquam investigetur, quomodo in una fabula suum quodque locum habuerint.

---

1) Eadem Suidas i. v.

CAPUT SECUNDUM.

Bene factum quod ipse Aristophanes nos de scopo Babyloniorum certiores fecit Acharn. 628—645, quem locum oportet integrum describam:

ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν,
οὔπω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον λέξων ὡς δέξιός ἐστιν·
διαβαλλόμενος δ' ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἐν Ἀθηναίοις ταχυβούλοις,
ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν ἡμῶν [1]) καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει,
ἀποκρίνεσθαι δεῖται νυνὶ πρὸς Ἀθηναίους μεταβούλους.
φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν ἄξιος ὑμῖν ὁ ποιητής,
παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι,
μηδ' ἥδεσθαι θωπευομένους μηδ' εἶναι χαυνοπολίτας.
πρότερον δ' ὑμᾶς ἀπὸ τῶν πόλεων οἱ πρέσβεις ἐξαπατῶντες
πρῶτον μὲν ἰοστεφάνους ἐκάλουν. κἀπειδὴ τοῦτό τις εἴποι,
εὐθὺς διὰ τοὺς στεφάνους ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων ἐκάθησθε.
εἰ δέ τις ὑμᾶς ὑποθωπεύσας λιπαρὰς καλέσειεν Ἀθήνας,
εὕρετο πᾶν ἂν διὰ τὰς λιπαράς, ἀφύων τιμὴν περιάψας.

1) ὑμῶν Fritzschius pg. 6 probantibus Bergkio pg. 967 et Meinekio in adn. Nihil opus est.

ταῦτα ποιήσας πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν γεγένηται,
καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας ὡς δημοκρατοῦνται.
τοιγάρτοι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν Φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες
ἥξουσιν ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον,
ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν 'Αθηναίοις τὰ δίκαια.

Duo igitur sunt quae se praestitisse gloriatur poëta, primum effecisse se ne Athenienses *τοῖς ξενικοῖσι λόγοις* nimis credulas aures praeberent et deinde ostendisse quam male socii sub democratia haberentur. Utrumque eum in Babyloniis effecisse manifestum est, nam alterius quam ante Acharnenses emisit fabulam, Daetalensium dico, argumentum in aliis rebus versabatur, ut ex reliquiis satis cognoscitur. Quae fuerint illi *ξενικοὶ λόγοι* inter Scholiastas non constat; alter enim *ἀντὶ τοῦ ἀλλοτρίοις καὶ μὴ προςήκουσιν* [1]) explicat, alter autem *τοῖς ἀπὸ* (recte Suid. pg. 751 Bekk. *ὑπό* [2])) *ξένων πρέσβεων λεγομένοις*. Utrumque cum per se verum esse possit, secundam explicationem sinceram esse ostendit vs. 636. Itaque Bergkius II 969 post Rankium suspicatus est Leontinorum legationem quae anno 427 auxilium rogatum Athenas missa est (Thuc. III 86) duce Gorgia (Diod. Sic. XII 83), poëtae occasionem dedisse ut cives perversae illius credulitatis admoneret. Quod quamquam a multis probatum esse video [3]), pro virili parte evertere nunc conabor. Nam Aristophanes, qui vel ipso

---

1) *ὅτι ἀνοίκειον* "Ελλησι (Suid. 'Ελλήνων) *τὸ ἐξαπατᾶσθαι* addit Schol. Cod. Ven.

2) Praestat tamen fortasse utramque lectionem sic conjungere: *τοῖς ὑπὸ τῶν ἀπὸ τῶν ξένων πρέσβεων λεγομένοις.*

3) A. Muellerus a. h. l. „Bergkius sagacissime suspicatus est haec verba spectare ad legationem Gorgiae" etc.; ut rem certam eam memorat Droysen. in versione pg. 43, et vocabulum *ἰοστεφάνους* ex Gorgiae orationibus sumptum esse credit, quod tamen solitum erat Athenarum epitheton, quo ipse bis utitur Aristophanes Equit. 1324, 1329.

Bergkio testis est multo locupletior, loquitur de legatis qui venerunt *ἀπὸ τῶν πόλεων.* (vs. 636) h. e. a maritimis civitatibus, quae cum Atheniensium republica foedus icerant, quod ut probem non opus est ex longinquo documenta accessere: in proxima enim vicinia eodem sensu bis legitur vs. 642 et quod omnem dubitationem tollit vs. 643: *τοιγάρτοι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες, ἥξουσιν* h. e. redibunt, scilicet ipsi illi legati, qui priore anno cum Aristophanes populo causam eorum commendaret in theatro adfuerant cf. vs. 378 et Schol. ad h. l. Cum autem intra eandem parabasin illae voces non possint varios sensus habere, consentaneum est etiam illud *ξενικοῖσι λόγοις* ad eosdem insularum legatos referendum esse. Atque nequis credat Aristophanem solum vel hoc loco tantum ita locutum esse, conferat Teleclidis fragm. 38: *πόλεών τε φόρους αὐτάς τε πόλεις τὰς μὲν δεῖν τὰς δ' ἀναλύειν.* Eupolidis nobilissimae comoediae titulum Πόλεις, Equit. 802, Vesp. 657, 670, 707, Pac. 609, Av. 1425; semper *αἱ πόλεις* sunt socii, ut de Spartanorum sociis Thuc. II 10: *περιήγγελλον — στρατιὰν παρακευάζεσθαι ταῖς πόλεσι.* Deinde apparet poëtam agere de solemni Atheniensium more (*παύσας ὑμᾶς* et *πρότερον δέ*); Gorgias autem non plus semel Athenas oculis conspexerat. Ludit autem in verborum sonum Bergkius ubi ad suam conjecturam confirmandam Diodorum laudat qui sic scribit l. l. *οὗτος* (Gorgias sc.) *οὖν καταντήσας εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ παραχθεὶς εἰς τὸν δῆμον διελέχθη τοῖς Ἀθηναίοις περὶ τῆς συμμαχίας καὶ τῷ ξενίζοντι τῆς λέξεως ἐξέπληξε τοὺς Ἀθηναίους κτέ.* Nam si *τὸ ξενίζον τῆς λέξεως* est sermonis peculiaritas et quasi peregrinitas quaedam, *ξενικοί* autem *λόγοι* sunt peregrinorum legatorum orationes, quid, quaeso, inter utrumque commune est, quo possunt conferri? Eodem jure Bergkius laudare potuerat quae in eodem capite paulo infra leguntur: *πρῶτος γὰρ ἐχρήσατο τοῖς τῆς λέξεως σχημα-*

τισμοῖς — καί τισιν ἑτέροις τούτοις, ἃ τότε μὲν διὰ τὸ ξένον τῆς κατασκευῆς ἀποδοχῆς ἠξιοῦτο, νῦν δέ κτέ., quod prudens omisit. Aliquanto melius est quod Scholiasta codicis Ravennatis habet, quod tamen et Bergkius non admittit et nos cur verum esse nequeat modo ostendimus. Diodori igitur locus Bergkii sententiae plus nocuisse quam profuisse videtur. Gorgiam omnino orationis flosculis et calamistris Atheniensium animos non tantopere commovisse ex Thucydidis silentio confecerim, qui eum ne dignum quidem habuit quem nominaret, sed Diodorus, ut tot alii, qui de Gorgia scripserunt, ad primum eius iter transtulisse mihi videtur, quae de secundo potius valent, cum longius Athenis commoratus sit suamque eloquentiam et vim persuadendi non plebi in concionibus sed Callicli et Calliae et horum amicis admirandam exhibuerit. Athenienses non illius facundia adductos sed suam rem agentes auxilia Leontinis misisse docent Thucydides l. l. et Grotius Hist. Gr. Cp. LVII vol. VI pg. 402 ed. Lond. II. Cum autem Rankius in Vit. Arist. pg. CCCXXXIX ipsum Gorgiam in scenam productum esse conjecisset, Bergkius poëtam rem longe ingeniosius et elegantius instituisse opinatur, „ut non Siculae alicuius civitatis legati, sed barbari homines Athenas venirent; quae quidem Gorgiae et Atheniensium irrisio longe est acerbior — ita igitur instituisse videtur, ut in exordio fabulae legatus a Persarum rege missus Athenas veniret, magna comitum stipatus caterva, qui Persarum mos erat; ex his autem servis constabat chorus." Imprudenti profecto hoc ei excidit, nam Gorgias nullo modo irridetur, si Persarum legatus traducitur, quorum alter alteri quam dissimillimas habuisset orationes. Gorgias enim, vel quod verius, insularum legati, blandi, supplices, ut sibi subvenirent, ut tributum levarent, alia similia ab Atheniensibus petebant, atque Aristophanes

cives monuit, ne eorum blandimentis deciperentur; sed a Persarum rege siqui venerunt legati iis certe temporibus, eorum sermo superbus et ferox erat, ut Pseudartabam audimus Acharn. 104, nam non veniebant ut Athenienses auxilium vel societatem rogarent, sed contra ut de subsidio, quod rex Atheniensibus missurus esset, pecuniam inprimis, agerent, cf. Arist. l. l. *οὐ λῆψι χρῦσο, χαυνόπρωκτ' Ἰαοναῦ*, et Thuc. II 67 de Spartanorum legatione a⁰. 430: *εἴπως πείσειαν αὐτὸν* (*βασιλέα* sc.) *χρήματά τε παρέχειν καὶ ξυμπολεμεῖν.* Intempestive igitur Bergkius mihi quidem ad illam scenam provocavisse videtur. Recte autem ex ea confecit Athenienses circa illud tempus revera per legationes cum rege Persarum de foedere ineundo egisse, quod negatum a pluribus, inter quos cum dolore simul et admiratione Grotium numero, post Herbstium [1]) nuper in clara luce posuit Mueller-Struebingius pg. 699 sqq. Quae vero Bergkius de Morychi legatione conjecit, ea prorsus falsa sunt; vide apud Struebingium l. l. Sed maxime miratus sum quod Bergkius scribit: „poëta autem cum Persarum legationem exhiberet, non sane ad veritatem rem composuit", quo suam ipse conjecturam penitus evertit, minus perspecto veteris Atticae comoediae more et consilio, quippe quae semper res ad veritatem componebat, tantummodo immaniter auctas ridiculeque distortas, ut risum moveret, qua de re etiam atque etiam ad Mueller-Struebingii librum ablego, in quo de hac potissimum re passim utilissima sparsit. Bene igitur Bergkius „non credibile est, inquit, circa illud tempus a Persis legatos Athenas missos esse"; verum id addere non debuerat, nam quo magis verum est, eo minus conjectura eius stare potest. Consentaneum est Athenienses,

---

1) Zur Geschichte der Auswärtigen Politik Sparta's, 1853.

cognito Spartanorum consilio, ipsos quoque legatos Susa misisse, iisque redeuntibus rex oratorem addere potuit, qui voluntatem eius aperire debebat, idque ab Atheniensibus aegre expectabatur, quapropter eos risit Aristophanes. Sed legatus a rege missus neque Athenas neque Spartam venit; neque enim Pseudartabas legatus est; et idcirco Aristophanes talem legationem in Babyloniis producere non potuit. Aliquanto melius igitur est quod Fritzschius conjecit, legatos venisse ab insulis; quibus si addideris comitatum eorum et insulas personatas, Babylonios dico, et chorum optimatium, fatearis necesse est, Fritzschium scenam non desertam reliquisse. Sed totum illud de legatis sive Persicis sive insulanis inventum neutiquam probare possum, idque eam ipsam ob causam ob quam auctores id excogitaverunt, sc. ob Acharnensium prologum; nunquam enim credam poetam tam similia argumenta duobus deinceps annis exhibuisse; ipse enim jure de se gloriatur Nub. 546 sqq.

οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰςάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

et quamquam talibus de se poëtarum praeconiis ego non is sum qui nimium tribuam, nunc tamen res ipsae eum vera de se praedicavisse clamitant, nam siquid in Aristophane admiratione dignum est, est profecto argumentorum mira diversitas ingeniique stupenda fecunditas. Diu autem fuit cum ego verba *παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι* ad ipsam Acharnenses fabulam referenda esse censerem, pro qua re me haud spernenda argumenta afferre posse putabam, sed peropportune Keckius (Quaest. Arist. Hist. 1876) me monuit, poëtam per totam fabulam non id agere, sed ut plurimos juvenes turpis mercedis avidos

militiam detractare ostenderet hoc modo, ut longa temporum spatia in legationibus tererent, scilicet ut merces in dies accresceret. In Babyloniis autem cum legatorum, qui a sociis mittebantur, vanitatem detegere propositum haberet, aliam viam necessario ingressus est, quam tamen indagare non possum.

Erunt profecto qui me interrogent, qui fieri potuerit ut Aristophanes una eademque fabula et populum moneret ut ab legatorum sociorum blandis orationibus caverent, et sociorum miseram sortem civibus suis exprobraret? Quibus respondere sane possem, ita esse, cum poëta utrumque de se affirmet; sed habeo quod insuper addam. Primum, quaeso, attende ad versum 642, quem alieno loco positum esse e versione maxime apparebit. „Ab adversariis, inquit, accusatus, coram vobis nunc se defendet poëta. Dicit enim se multis bonis dignum esse, quippe qui effecerit ne vos in posterum legatorum orationibus nimis decipiamini. Antea autem siquis aliquot honorifica nomina vobis largitus erat, omnia quae volebat a vobis impetrabat. Haec (ταῦτα non τοῦτο!) cum effecerit, multorum bonorum vobis causa extitit, e t cum ostenderit quam male socii sub [1]) democratia haberentur." Quis non sentit orationem claudicare et ultimum versum etiam sententiae loci repugnare? Quam enim gratiam poëta apud Athenienses initurus erat, si coram sociis hoc aperuisset? Pessimam, opinor, ut etiam re factum esse scimus. Tamen ordinem versuum mutare et e. gr. vs. 642 post 636 collocare nos vetat vs. 643, idemque prohibet quominus Droysenii versionem probemus: „Und er liess euch sehn in den Städten umher, wie es dort mit der Democratie steht", nam tunc rursus socii eum non

---

1) „Quomodo res eorum ab Atheniensibus administrarentur", neque ad verbum neque ad sententiam vertit A. Muellerus.

laudassent [1]). Causam cur poëta tam inconcinne locutus sit, explorabimus, ubi quae non ipse sed inimici eum in Babyloniis praestitisse dicebant, cognoverimus. Schol. ad 378: *διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν· τοὺς Βαβυλωνίους λέγει. τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν, ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν· ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα, παρόντων τῶν ξένων. καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα*; quod ipse agnoscit Acharn. 502, 515, 631. Vide nunc ut his criminationibus ne verbum quidem opponat ut eas falsas esse declaret, sed longus est in exponendis suis de Atheniensibus meritis, quae ad caput rei, quapropter ab adversariis petebatur, nequaquam pertinent. Haec magna voce elocutus iterum [2]) se de civibus egregie meritum esse asseverat, et deinde suppressa voce, obiter et festinans, ea verba addit de quibus nunc agimus, et statim pergit de gloria, quam constantia et audacia sua sibi pepererit, copiose et superbe dicere. In quibus rem egit ut sagacissimus patronus, quod eum in sua causa fecisse neque mirandum neque vituperandum est, ut crimen ipsum, quam maxime fieri posset, obscuraret et ex defensione sua fere totum tolleret; omnino tamen iis verbis carere non potuit, ut transgressum haberet ad sequentia. Qua ex re hoc mihi certissime apparere videtur, in Babyloniis poëtam non praecipue legatorum illecebras et adulationes respexisse, sed

---

1) Accedit quod in plerisque sociorum civitatibus summam rerum penes optimates esse persuasum habeo, quod quidem quia non huius loci est, nunc probare supersedeo.

2) Quamquam enim in superioribus non recepi, quia ad nostram causam cognoscendam parum interest, fateor tamen etiam vs. 633 cum Bentleio, Davesio, Brunckio, Bekkero, Meinekio mihi *αἴτιος* legendum esse videri.

ipsam democratiam, hoc est rempublicam, calumnia affecisse, quod crimen est majestatis, cui se nihil habere quod opponeret ipse optime sibi conscius erat. Illud igitur ὡς δημοκρατοῦνται neque cum Scholiastis ad Athenienses solos neque cum Droysenio ad socios solos referendum est, sed ad utrosque; democratiam causam esse omnium malorum, demagogos pessimorum consiliorum auctores esse, et hac de causa socios injuste premi, hoc erat quod in ea fabula poëta probare aggressus est. Dixi autem supra subjectum verbi ἥξουσιν vs. 644 esse eosdem legatos qui Babyloniorum repraesentationi interfuerant; hos ex optimatium numero omnes fuisse credo, nam ad talia munera, sc. ut tributa ferrentur Athenas, non solent creari homines humiles et obscuri; atqui nobiles ἐν ταῖς πόλεσιν omnes oligarchiae favebant. Hos igitur eos sermones avidis auribus accepisse nihil est quod miremur; at legati, quibus Athenienses nimis faciles se praebuisse Aristophanes questus erat, a plebe missi erant, qui contra potentes auxilium, inter disceptantes jurisdictionem, tributi diminutionem [1]), talia, rogarent. Has autem non esse inanes hariolationes sed solido nisas esse argumento ostendam ex Phrynichi verbis apud Thuc. VIII 48, quae quidem digna sunt quae etiam atque etiam virorum doctorum attentioni commendentur: τούς τε καλοὺς κἀγαθοὺς ὀνομαζομένους (h. e. optimates; Ciceronis „boni") οὐκ ἐλάσσω αὐτοὺς (sc. foederatarum civitatium incolas) νομίζειν σφίσι πράγματα παρέξειν τοῦ δήμου, ποριστὰς ὄντας καὶ ἐσηγητὰς τῶν κακῶν τῷ δήμῳ, ἐξ ὧν τὰ πλείω αὐτοὺς (h. e. optimates ipsos) ὠφελεῖσθαι· καὶ τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνοις εἶναι καὶ ἄκριτοι ἂν καὶ βιαιότερον ἀπο-

1) Nunquam enim, quamdiu stetit Atheniensium imperium, tributorum diminutiones provocaverunt optimates.

θνήσκειν, τὸν δὲ δῆμον σφῶν τε καταφυγὴν εἶναι καὶ ἐκείνων σωφρονιστήν. καὶ ταῦτα παρ' αὐτῶν τῶν ἔργων ἐπισταμένας τὰς πόλεις σαφῶς αὐτὸς εἰδέναι ὅτι οὕτω νομίζουσιν.

Quicunque autem cum Fritzschio credit bona illa praecepta de republica constituenda in parabasi a choro data esse, non debet inde aliquid deducere de comoediae argumento, quia parabasis plerumque, ne dicam semper, extra argumentum versatur. Sed perperam putant parabasin imprimis politicis rebus destinatam esse, quod inspectis Aristophanis comoediis statim falsum esse declaratur, et reliquorum comicorum fragmenta, quae hic illic ad historiam illustrandam afferuntur, maximam partem trimetris concepta sunt. Forsitan igitur ex Acharnensium parabasi aliquid ad Babyloniorum oeconomiam cognoscendam proficere poterimus, si accurate examinabimus qua ratione Aristophaneae fabulae institui soleant. Hanc autem semper simplicissimam esse apparet: unus in omnibus homo est cui omnia succedunt quae molitur, qui de adversariis victoria reportata benevolis, h. e. qui iisdem partibus favent, benefacit, adversarios ridet et opprimit. Acharnenses et Aves fabulae maxime ad hanc rem cognoscendam conducunt, quippe quae perfecta Aristophaneae Musae specimina exhibent. Victoria illa autem non paritur nisi causa dicta, in qua ille seriis et jocosis usus argumentis adversarios profligat; adeo verum est quod observavit nescioquis, Aristophanem ipsum φιλοδικασίας illius, quam Atheniensibus suis tantopere exprobrat, minime expertem fuisse; vid. Acharn. 496—625, Equit. 255—481, 625—682, Nub. 889—1104, Vesp. 546—728, Av. 462—538, Lysistr. 1111—1188, Ran. 830—1481, Eccl. 517—727, Plut. 58—252. Cognito autem Athenaei loco supra laudato, non potest dubium videri quin in nostra fabula eae partes Baccho mandatae fuerint, quem causam

suam evicisse et de adversariis splendide triumphasse pro certo haberi debet. Quod sicui Musae dederint, ut quid ei Athenis rei esset indagaret, jam fere totius comoediae imaginem nobis informare poterimus. Doctrina autem et ingenii acumine haec ex atra qua involuta sunt caligine erui non possunt. Quae cum ita sint, praestat sane ignorantiam fateri et incerta ab certis secernere, cui rei ego in hoc libello maxime operam dedi.

CAPUT TERTIUM.

Accedimus nunc ad quaestionem in paucis difficilem et intricatam, quae est de Callistrato et Philonide, quam, etsi eam a summis viris in diversas partes tractatam a me absolutum iri nulla spes est, tamen silentio praeterire non possum, ne militiam detractare videar; scribit enim Photius l. l. pg. 1: τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης, quae verba quid sibi velint nunc investigandum est. Cum autem post tot tantorum virorum diligentissimas inquisitiones acerrimasque contentiones vix quidquam novi ad litem cognoscendam afferri possit, atque omnes quae de hac re concipi possint opiniones jam prolatae sint, potiora tantum delibabo, et ex magna mole librorum quos vel cognoscere longum est, vana eruditionis specie libenter dimissa, insigniores elegam quos aut laudem aut refutem, et cur quidque probem breviter indicabo.

Aristophanem priores suas fabulas non suo nomine in scenam emisisse, inter omnes constat ipsius testimonio in Equit. vss. 512 sqq.:

ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας
καὶ βασανίζειν, πῶς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν,
ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευε φράσαι περὶ τούτου κτέ.

et in Nub. vss. 528—532:

ἐξ ὅτου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,
κἀγὼ — πάρθενος γὰρ ἔτ' ἦ, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν —
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε,
ἐκ τούτου κτἑ.

et rursus in Vesp. v. 1017—1022:

ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πολλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,
τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,
μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι·
μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτόν,
οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.

et paucis intermissis vs. 1029 ss.:

οὐδ' ὅτε πρώτιστ' ἦρξε διδάσκειν, ἀνθρώποις[1]*) φήσ' ἐπιθέσθαι,*
ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖν,
θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,
οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον κτἑ.

quae quin ad Equites fabulam spectent etiam minus dubitabis, si Pacis parabasin inspexeris, ubi fere eadem leguntur addito versiculo (753):

διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βορβοροθύμους.

Itaque omnes ante Equites fabulas alieno nomine emissas esse inter viros doctos hodie convenit. Fuerunt autem hae Daetalenses, Babylonii, Acharnenses, quae Philonidis et Callistrati nomine ornatae prodierunt, ut Scholiastae docent

1) Vox corrupta, varie tentata. *ἀνθρωπίσκοις ἐπιθέσθαι*, Conzius et Hirschigius probante Dindorfio; Bergkius et Winkelmannus *νάννοισιν*; Kockius *ἰδιώταις* (*τοῖς ἰδ. ἐπ.* Richterus); *ἀνδραρίοις* Meinekius. Totum versum delevit V. Cl. Cobetus. Ad nostram causam perinde est.

ad eos locos; ad Nub. 52, 9: Πρῶτον δρᾶμα γράψας ἐξέθηκεν ὁ ποιητὴς τοὺς Δαιταλεῖς, ἐν ᾧ σῶφρον μειράκιον εἰςάγει καὶ ἕτερον ἄχρηστον; ad 530: οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ ἐξ ἀρχῆς καθῆκε τὰ δράματα ὁ ποιητής, εὐλαβὴς ὤν. ἀπὸ δὲ τῶν Ἱππέων ἤρξατο δι' ἑαυτοῦ εἰςιέναι; ad 531: παῖς ἑτέρα· Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος, ἐπεὶ οὐ δι' ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα; ad Vesp. 1018: ἐπειδὴ διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου καθίει τινὰ τῶν δραμάτων. πρῶτον γὰρ δρᾶμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἱππέας; ad 1013: δηλοῖ ὅτι αἱ διδασκαλίαι ἴσως φέρουσι τοὺς Ἱππέας πρώτους ὑπ' αὐτοῦ καθιεμένους. De nostra fabula conferendus est Photius l. l. et de Acharnensibus, argumentum: ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθύνου ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου. „Fritzschii errores aliquot", ut cum Cobeto loquar, tam lucide, quamquam justo verbosius refutavit Th. Kockius in commentatione de Philonide et Callistrato (Progr. Guben. 1854) pg. 3—13, ut ad eum lectorem ablegare satis habeam: neque hodie de ea re quisquam dubitat. Sed nequaquam eundem consensum reprehendas, si quaeras quas fabulas utrique commiserit: Daetalenses enim alii Philonidi [1]) alii Callistrato [2]) tribuunt; quod ne mireris, testes ipsi, a quibus omnis nostra scientia derivata est, dissentiunt; mihi autem cur Daetalenses a Philonide edita esse videatur, breviter exponam. Scribit Scholiasta ad Nub. 532: παῖς δ' ἑτέρα· Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος; stulte ille quidem duos pro uno nominavit, sed quo magis stulte, eo certius ostendit constantem famam jam antiquitus fuisse, Aristophanem primas comoedias non uni sed duobus poëtis

---

1) C. F. Hermann. Ind. Lect. Schol. Marb. 1835 pg. VII. Dindorf. pg. 182. C. F. Rankius in Comm. Meinekianae editioni Lips. praefixa pg. XX. Kock. Progr. pg. 19—21. Fritzschius de Daetal. pg. 10 ss. Meinek. pg. 102.

2) Cobet. Observv. in Plat. Com. rell. pg. 106, 134. Mueller-Strueb. pg. 704 (uterque nullis additis rationibus). Bergk. pg. 908, 1020. A. Mueller. Praef. in Acharn. pg. X.

tradidisse agendas. Jam cum ex tribus quas ante Equites scripsit fabulis, Babylonios et Acharnenses Callistrati nomine repraesentatas esse liquido constet, necessario sequitur Philonidi Daetalenses relinquendam esse. Clarius etiam idem dicit Anonymus de Comoedia III 50: *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ (Καλλιστράτῳ) φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ*, nam Babylonii et Acharnenses *πολιτικὰ δράματα* fuerunt; illud autem *φασί* itidem antiquam famam arguit. At idem grammaticus disertis verbis dicit lin. 49: *ἐδίδαξε δὲ πρῶτος* [1]) *ἐπὶ Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου*, quem hominem cum Bergkius omni fide dignissimum esse sibi persuaserit, super ea verba totam suam fundavit argumentationem. Attamen ne nimio pluris eius doctrinam faciamus, ipsius verba suadent quae proxime insequuntur: *διὰ δὲ τοῦτο νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τοὺς λοιποὺς* [2]) *ἐπιγραφόμενος ἐνίκα*, nam etiam in posteris Aristophanes non nisi admodum raro suo nomine fabulam docuit, neque semper vel secundo praemio contentus victor discessit. Optimo autem jure Rankius l. l. Bergkium vituperavit, quod uni se totum homini mancipaverit, et monet inter Scholiastas non tantum esse discrimen ut alterum praeferre, alterum postponere queas, itaque ad conjecturas confugiendum esse. Noster autem homo, cum suis ipsius verbis manifesto errore teneatur, non tanta fide dignus est ut ei credamus quae solus omnium tradidit, cum contrariam

---

1) Bekkerus: *πρῶτον*; injuria, vid. Duebn.

2) Jure hoc offendit Dindorfium, annotantem: „scribendum *τοῦ λοιποῦ* nisi *ἀγῶνας* intellexit." Hoc equidem haud crediderim, sed aut *ταῖς λοιπαῖς* — cf. Schol. Plut. 179: *Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐπιγεγραμμένον* (nam sic omnino scribendum cum Kustero et Dobraeo) *δράμασιν*. Schol. Eurip. Andr. 446: *ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην*. Schol. Ar. Ran. 78. Iophontem rideri dicit *ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς κωμῳδίαις ἐπιγράφεσθαι* — aut *τὰς λοιπάς*, quod palaeographica ratione commendatur, et quod Hermannus tacite recepit, reponendum censeo.

sententiam et aliunde confirmetur et ipse eam inscius probet. Neque quidquam attinet scriptorem vitae Aristophanis XI in partes vocare, qui lin. 10: *εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος*, inquit, *τὴν ἀρχὴν ἄλλως τε καὶ εὐφυής, τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα*; nam in ea prorsus eadem cadunt quae in verba Scholiastae ad Nub. 532, a quibus profecti sumus. Sed Bergkius nullam aliam ob causam eum laudavit, nisi quod Callistratum primo loco posuit, quod nullius esse momenti vel me tacente unusquisque intelligit. Quid, quod Scholiastae ad Nub. 510 et 531 et ad Vesp. 1018 Philonidem ante Callistratum nominaverunt? Non injuria quidem Dindorfius Anonymum illum Bergkii Babylonios fortasse in mente habuisse opinatus est; mihi tamen ille longiorem libellum excerpisse vel potius mutilasse videtur, ita ut omnis fere sensus periret. Nam quid hoc est, quod deinde sequitur: *ἔπειτα τῷ υἱῷ ἐδίδου τὰ δράματα ὄντα τὸν ἀριθμὸν νδ'*? quod scilicet breviter dictum est pro: ultimas fabnlas filio reliquit docendas; numerus autem fabularum est LIV! Itidem sententiam corrupit, cum scriberet lin. 48: *ζηλῶν δὲ Εὐριπίδην, τοῖς δὲ μέλεσι λεπτότερος*, male intellectis quae integra extant apud auct. Vit. XIII 2: *ἐκωμῳδεῖτο δ' ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην, μιμεῖσθαι δ' αὐτόν. Κρατῖνος*:

τίς δε σύ; κομψός τις ἔροιτο θεατής·
ὑπολεπτόλογος, γνωμοδιώκτης, εὐριπιδαριστοφανίζων.

καὶ αὐτὸς δ' ἐξομολογεῖται Σκηνὰς καταλαμβανούσαις:

χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ (φησὶ) τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ,
τοὺς νοῦς δ' ἀγοραίους ἧττον ἢ 'κεῖνος ποιῶ [1]).

Itaque nostro loco nimio brevitatis studio abreptum Dae-

---

1) Mirabili sane errore, nusquam tamen indicato, apud Duebnerum Cratini et Aristophanis fragmenta sedem mutaverunt.

talensium cum Philonide et Babyloniorum mentionem eum negligenter omisisse suspicor, eiusque certe auctoritate nihil moveor ut Daetalenses Philonidi adimam.

Alterum argumentum, quo, etsi aliquanto circumspectius, usi sunt qui Daetalenses a Callistrato in scenam productam esse volunt, superiore etiam est levius. Petitum est ex Acharn. 1150 ss. ubi legimus:

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος, τὸν ξυγγραφῆ, τὸν μελέων ποιητήν 1),
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς·
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον.

Haec Fritzschius ad Daetalenses spectare affirmat, quia scilicet Babylonii magnis Dionysiis acta est, quod temere arripuerunt Bergkius pg. 938 et 1021 et A. Muellerus a. h. l.: et indidem sequi putant etiam Daetalenses a Callistrato actam esse. Quod longe secus est; nihil aliud iis verbis significatur, nisi quod jam Cobetus docuit observv. pg. 35, „Antimachum, cum Lenaeis choragum esset, solemne convivium, quo post ludos choreutae excipi solebant, sordidius omisisse," nisi quod dicendum fuerat: „anno superiore eiusdem phylae choragus," quod nunc probare, quia a proposito alienum est, omittam.

Postremo juvenem poëtam, cum primos in re musica gradus poneret, Philonidis poëtae, qui eius tribulis erat 2), opera potissimum adjutum esse contendunt Fritzschius et Kockius et Rankius, quod ubi ad cetera accedit, haud spernendum est. Itaque donec graviora argumenta ab adversariis prolata esse videro, equidem Daetalenses a Philonide datam esse persuasum habeo.

Philonidis et Callistrati opera poëtam etiam post Equites

---

1) Primus versiculus corruptus est, vid. Cob. Observv. pg. 35.
2) Cf. Hannov. l. l. pg. 1.

usum esse didascaliae fidem faciunt, cf. Argum. II Vesp. olim a Dindorfio sic restitutum: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου, ἐν τῇ πθ' ὀλυμπιάδι· δεύτερος ἦν. εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγῶνι, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος, ubi nunc (pg. 189) auctore Hermanno in Ephemerid. Lips a. 1829 vol. 2 pg. 1631 verbum Φιλωνίδης expungit, quod cur fecerit nescio. Cf. Avi. et Ran. Arg. Sed cum eodem loco satis probabile tamen esse dicat, Philonidem Proagonem quoque egisse, huic interpolationi haud exiguam tribuit auctoritatem, nam nisi ex ea ne Dindorfius quidem hoc scire poterat. Proagonem autem esse drama Aristophanis aliunde notum est. Deinde consulendum Arg. Av. ἐπὶ Χαβρίου τὸ δρᾶμα καθῆκεν εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου· εἰς δὲ Λήναια τὸν Ἀμφιάραον ἐδίδαξε διὰ Φιλωνίδου, et Argum. Ran. ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια. Neque injuria Bergkius conjecit etiam Nubes a Philonide esse editam, nisus illis verbis Anonymi sui III 50: τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ (Καλλιστράτῳ) φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ; nam etsi illam distinctionem falsam esse Suevernio (Comm. de Av. pg. 59) et Dindorfio (Ed. Oxon. II 548) facile concedo, tamen quia Aristophanes nullam praeter Nubes contra Socratem fabulam emisit, non potuit illa fama oriri nisi Philonides eam dedisset. Atque parum abest quin etiam Thesmophoriazusas, cuius nulla didascalia superest, a Philonide editam esse crediderim, propterea quod in ea poëta etiam vehementius quam in Ranis in Euripidem invectus est. Callistrati ope praeter Babylonios, Acharnenses, Aves, etiam in Lysistrata adjutus est, vid. Arg. ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρξαντος. εἰσῆκται δὲ διὰ Καλλιστράτου. Sub finem autem vitae Cocalum et Aeolosiconem fabulas Araroti filio commisit, ut ex argumento II Pluti discimus: τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι, τὸν υἱὸν αὐτοῦ

συστῆσαι Ἀραρότα [*δι' αὐτῆς*][1]) *τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε,* Κώκαλον *καὶ* Αἰολοσίκωνα. Cf. Vitam XII 36: *τελευταίαν δὲ διδάξας τὸν* Πλοῦτον *συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν* Ἀραρότα; nam scriptor vitae XI lin. 43—78 tam inaniter ineptit ut eum paucis verbis expunctis, quam medicinam Bergkius adhibebat, sanare non possis[2]).

Quod Aristophanem fecisse vidimus, id Athenis haud semel usu venit. Sic Aeschylus Euphorioni, Sophocles Iophonti filiis aliquot dramata tradidisse, quae suo nomine repraesentarent, narrat Suidas i. v. Εὐφορίων et Ἰοφῶν; de hoc autem prorsus constat ex Arist. Ran. vs. 77, ubi compara Scholiastam. Eupolidem aliena ope usum esse ex Athenaei verbis apparet quae leguntur libro V pg. 216 D: *ἐπὶ τούτου* (Ἀριστίωνος) Εὔπολις, *τὸν* Αὐτόλυκον *διδάξας διὰ* Δημοστράτου, *χλευάζει τὴν νίκην τοῦ* Αὐτολύκου. Neque non hunc usum testatur fragmentum II Cratini ex Pastoribus:

ὃς οὐκ ἔδωκ' αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορόν,
τῷ Κλεομάχου δ', ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια.

Sed tamen Aristophanes prae ceteris hoc fecisse atque rarissime omnino palam in arenam descendisse videtur, quod etiam Bergkio et Cobeto visum est; duas tantum eum fabulas suo nomine edidisse in didascaliis traditum est, Equites et Plutum, cum de Pace idem conjicere licet ex his verbis Argumenti II: *Φέρεται ἐν ταῖς Διδασκαλίαις δὶς δεδιδαχὼς* Εἰρήνην *ὁμωνύμως ὁ* Ἀριστοφάνης. *ἄδηλον οὖν, φησὶν*

---

1) Summo jure ea verba a Dindorfio sublata sunt; nam contra praecedentia atque sequentia pariter pugnant.

2) Eam vitam foedissime interpolatam esse Bergkio concederem, nisi auctorem illum ex diversis fontibus, quorum principatum obtinebat ille, ex quo etiam vita XII defluxit, nullo adhibito judicio et summa neglegentia sua conglutinasse existimarem, quod singula examinanti facile apparebit.

Ἐρατοσθένης, πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ετέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται. Tum in didascalia Equitum disertis verbis additum est eam doctam esse δι' αὐτοῦ τοῦ Ἀριστοφάνους, quod non additum fuisse opinor nisi notabilis res esset. Itidem verba quae in Argumento I Pluti leguntur: ἐπιγέγραπται δὲ τὸ δρᾶμα Πλοῦτος Ἀριστοφάνους, quid sibi velint nescio, nisi paucas admodum fabulas Aristophanis nomine inscriptas fuisse statuamus. Sed validiore argumento idem confirmare licet; nam aequales poëtae nostro hoc vitio vertebant, vid. Vitam XIII 9: Ἀριστώνυμος δ' ἐν Ἡλίῳ ῥιγοῦντι καὶ Σαννυρίων ἐν Γέλωτι τετράδι φασὶν αὐτὸν γενέσθαι, διότι τὸν βίον κατέτριψεν ἑτέροις πονῶν; cf. XII 10: διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι αὐτὸν γεγονέναι λέγοντες, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἄλλοις πονοῦντα. Quo autem consilio usus poëta in primis fabulis hanc viam ingressus sit, ipse profitetur in parabasibus Equitum et Nubium, ubi prae verecundia, ob nimiam juventutem veritum inconstantem populi Atheniensis gratiam, quam Cratini, Magnetis, Cratetis exemplis illustrat, atque chori institutionem difficillimum opus esse ratum, diu se cunctatum esse affirmat ante quam ipse prodire ausus sit. Quod licet ei credamus, neutiquam tamen explicat, cur primo statim accessu splendidissima victoria reportata illico ad veterem consuetudinem reverterit. Cuius rei causam, cum ab ipso non tradita sit, investigare nimiae fortasse est audaciae: tamen repudiatis quas de hac re proposuerunt viri docti opinionibus, quae mihi suborta est suspicio liceat expromere. Rankio enim, qui Aristophanem, cum Nubes justo plausu caruisset, merita laude privatum ad vetus institutum redisse putat, assentiri non possum, non solum quod Nubes a Philonide editam esse existimo, sed etiam quia non intelligo, si poëta indignabundus a theatro discesserit, qui factum sit ut non omnino a fabulis scribendis et edendis abstinuerit, cum jam nomen suum adeo inclaruisset,

ut verus auctor neminem latere posset. Quodsi gloriae jacturam gravatus, ne iterum famae damnum acciperet veritus, ipse prodire gravabatur, nil egit, quoniam laus vel dedecus non in Philonidem Callistratumve sed in ipsum redundabat. Rankius tamen mihi viam munivit, ut mox apparebit; fuerunt autem qui Aristophanem fabulae instruendae laborem effugisse putarent; qui mihi quidem comoediae rationem minus perspectam habere visi sunt; in qua gestus et actiones res sunt gravissimi momenti, ut dubitari nequeat, quin magna pars leporis nobis tota perierit, quod nunquam fabulam Aristophanis oculis repraesentatam vidimus; hae autem res cum litteris neque mandarentur neque exprimi omnino possent, quia eiusmodi sunt ut ostendi et viva voce doceri ament, poëta comicus, etiamsi non ipse *χοροδιδασκάλου* munus susciperet, omnibus actorum et choreutarum studiis, „repetitionibus" ut hodie dicunt, non solum interesse, verum praeesse debebat, siquidem victoriam vel flocci ducebat. Alia igitur causa subesse debet; diu autem fuit cum poëtam, quod ipse repraesentationis sumptibus impar esset, fabulas suas mediocribus quibusdam poëtis qui hanc gloriolam avide arripiebant, reliquisse putarem, nisus Suidae testimonio, qui de Platone tradit s. v. *Ἀρκάδας μιμούμενοι· παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων.... ταύτῃ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ· διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν, Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.* Cf. Eustath. pg. 302, 30. Nam mihi quidem V. Cl. Cobetus Observv. pg. 102 ss. non persuadebat, *Ἀρκάδας μιμούμενος* scribendum esse et hoc convitium a Platone in Aristophanem jactum esse. Simul ad Equites edendam eum equitum opibus adjutum credebam. Sed praeterquam quod difficile est dicere, quinam sumptus poëtae faciendi essent cum choragus omnia suppeditare deberet: meliorem nunc me explicationem daturum esse spero. Sci-

licet parum mihi distinctum esse videtur inter populum plausu approbationem suam significantem, et judices, qui praemium decernebant. Cf. Av. 445, 1101—1116, Nub. 1115—1130, Eccl. 1154—1162, et inprimis Eccles. 1141, '42:

καὶ τῶν θεατῶν εἴτις εὔνους τυγχάνει,
καὶ τῶν κριτῶν εἰ μή τις ἑτέρωσε βλέπει.

Utrosque autem non semper eadem sensisse Euripidis maxime illustratur exemplo, qui XXIII tetralogiis editis vix quinquies victor renuntiatus est, saepe etiam tertio loco habitus, qui tamen unus omnium maxime in Atheniensium ore erat, quod ut probemus non opus est Plutarchi historiola in vita Niciae c. XXIX, nam iterati Aristophanis in eum impetus et continuae parodiae quanto studio ab Atheniensibus expeteretur, optime declarant. Neque ipse Aristophanes, quae est eius gloria, saepe primum praemium reportavit; praeter Acharnenses, Equites, Proagonem, Ranas, nullam hoc honore dignam judicatam esse pro explorato habemus. Atqui eum constanti floruisse populi favore, tum fama eius apud posteros, quo omnes aemulos obscuravit, tum Eupolidis acerba querela ostendit, (fr. 302):

ἀλλ᾽ ἀκούεθ᾽ ὦ θεαταὶ τἀμὰ καὶ ξυνίετε
ῥήματ᾽· εὐθὺς γὰρ πρὸς ὑμᾶς πρῶτον ἀπολογήσομαι,
ὅ τι παθόντες τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς,
ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ᾽ αὐτοῦ μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν
ἐπιτίθηται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν,
μαίνεταί τε καὶ παραρρεῖ τῶν φρενῶν τῷ σῷ λόγῳ.

quae ad Aristophanem maxime pertinent cf. Meinek. I pg. 111. Nihilominus Nubes vel infimo loco habita est. Cum igitur videret, se populo quidem semper, judicibus non itidem gratum acceptumque esse, satius duxit, nomen suum publicae cladis periculo non exponere; gloriae autem suae non erat quod timeret, quippe quae non a judicum

sententia sed a populi gratia pendebat, quae cum mira esset, publica renuntiatione haud aegre carebat. Vide omnino quomodo in Nubium parabasi [1]) a judicum sententia ad spectatorum *τοὺς δεξιούς* provocaverit.

At quinam fuere Philonides et Callistratus illi? Philonides ut poëta comicus memoratur a Suida: *Φιλωνίδης Ἀθηναῖος κωμικὸς ἀρχαῖος· πρότερον δ' ἦν γραφεύς* (Eudocia *γναφεύς·*) *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Κόθορνοι, Ἀπήνη, Φιλέταιρος.* Cothurnorum fragmenta inveniuntur apud Athenaeum et Pollucem, praeter nonnulla quae origine incerta circumferuntur, vide Meinek. I pg. 102 ss. Et per se consentaneum est Aristophanem primis utique fabulis patronatum petiisse a poëtis qui jam aliquoties chorum ab archonte impetravissent, sed tenuibus et mediocribus, nam summi artis magistri alienis pennis se ornare dedignati essent. De Callistrato nihil quidquam traditum est, nisi quod in Vita XI Cod. Ven. haec leguntur: *ὑποκριταὶ Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνίδης, δι' ὧν ἐδίδασκε τὰ δράματα ἑαυτοῦ κτἑ.* quae verba inepta et nulla prorsus fide digna sunt, vide Bergk. pg. 925. Magis etiam delirant Scholiastae Victoriani ad Nub. 510: *τούτῳ τῷ νόμῳ καὶ ὁ κωμικὸς οὗτος εἰργόμενος πρότερον διὰ τὸ μὴ τριακονταετὴς ἔτι ὑπάρχειν, ποιῶν δράματα διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου ἀνεγίνωσκεν εἰς τὸ θέατρον.* et ad 531: *δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ ὁ Καλλίστρατος, οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους.* Fuerunt tamen inter recentiores qui, si non Philonidem, at Callistratum certe histrionem fuisse existimarent, inprimis Th. Kockius in programmate Scholae Gubeniensis a. 1855; sed hoc nullo idoneo potest probari argumento, atque in eo semper conlabetur quod fabulae Aristophaneae sine ullo discrimine eodem semper modo

---

1) Vs. 527; cf. Vs. 1049: *ὁ δὲ ποιητὴς οὐδὲν χείρων παρὰ τοῖς σοφοῖς νενόμισται.*

dicuntur διδαχθῆναι vel καθεθῆναι vel εἰςαχθῆναι διὰ Φιλωνίδου et διὰ Καλλιστράτου[1]), ut arbitrarium sit neque ulla ratione defendi possit eas locutiones ita distinguere, ut altera significet Philonidem poëtam suo nomine fabulas Aristophaneas in scenam emisisse, altera autem, Callistratum histrionem in fabulis, quarum se auctorem Aristophanes publice professus esset, primas partes egisse. Sed utraque sic est intelligenda (ut Dindorfii verbis utar), „ut illi chorum ab archonte petiverint et acceperint victoresque ab judicibus certaminis sint declarati et in tabulas publicas relati, nulla facta Aristophanis mentione." „At, inquit Kockius l. l. pg. 18, si in hac sententia constare tibi velis, quodammodo coactus es, ut paene omnes Aristophanis fabulas non ab ipso sed ab aliis datas esse perhibeas", quod scilicet Bergkio usu venit. „Nimirum optimo jure, pergit Kockius, Amipsias Aristonymus Sannyrio poëtam irrisissent, si centies aliis gloriam victoriae tradidisset, ipse ter quaterve vicisse satis habuisset." Nos autem id ipsum Bergkianae sententiae argumentum accedere gravissimum, quamquam ab ipso auctore neglectum, supra diximus. Sed Kockius illam dictionem a grammaticis in utramque sententiam usurpatam esse, duobus locupletissimis testimoniis constare putat. Scilicet in Argumento II Pluti (quod supra exscripsimus pg. 48), „hanc postremam fabulam legimus poëtam s u o n o m i n e inscriptam docuisse, actam autem esse ab Ararote filio, quem hac ratione spectatoribus voluerit commendare; ceteras p e r h u n c i p s u m (Ararotem) eum dedisse; itaque huius nomine in didascaliis illis vetustissimis inscriptae erant. At eundem Plutum, quem a b Aristophane i p s o doctum, actum ab Ararote esse scimus (sic!), p e r f i l i u m doctum

1) Omnes locos collatos vide apud Bergkium pg. 926.

esse legimus in vita XI pg. 79. Itaque Cocalum et Aeolosiconem suo nomine Araros docuit, in Pluto primas tantum partes egit; nihilominus utrumque eodem modo a grammaticis narratur." Ita Kockius qui prudentius sane inde collegisset, totam illam distinctionem non esse ex usu grammaticorum. Sed, unde quaeso Ararotem in Pluto primas partes egisse novimus? Verba δι' αὐτῆς in argumento Pluti, quae sola a Kockio laudari poterant, dudum a viris doctis sublata sunt, et quidem summo jure cf. supra pg. 48 adn. Sed fac ea genuina esse, undenam scire possumus histrionis operam hoc loco significari, cum alias chori magister iis verbis indicetur? Vel etiamsi hunc iis verbis sensum inesse concedamus, quod tamen fieri posse obstinate nego, quid inde proficiemus? Quis enim dijudicabit, uter singulis locis indicetur, poëta an histrio? Prorsus autem fallax est quod Kockius huic disputationi praemisit, Argumentum illud Pluti auctore Boekhio et consensu omnium ad vetustissimarum didascaliarum exemplum proxime accedere; pertinet enim hoc ad priorem eius partem: ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου κτέ., non ad ulteriorem: τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην κτέ. quod neque Kockium fugere potuit. Neque alterum „locupletissimum" eius testimonium fraudis suspicionem effugit, nam verba δι' οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον, quae in Vita XI 79 post Ararotis nomen leguntur, secluserunt Dobraeus et Bergkius, quem vide in Prolegomenis ad Cocalum. Itaque quoquo te verteris, nunquam Ararotis histrionalem operam probatam videbis, multoque minus Callistratum Aristophanis ὑποκριτήν dicere licet, nisi Philonidem quoque in eundem ordinem rejeceris; quo facto consequens est, Aristophanem statim ab initio suo nomine ad agendam fabulam chorum impetravisse, quod tamen nemo ausus est dicere; nimirum ipse poëta diserte vetuit; nam Equit. 512 multos mira-

bundos a se quaesivisse ait πῶς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ᾽ ἑαυτόν. Postremo litem facile dirimit alter eius locus, qui legitur Vesp. 1016:

τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ᾽ ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς.

quod de duobus minimum dictum est. Bene autem Bergkius fontem et originem erroris in Scholio ad Nub. 531 deprehendit: „nam quod ὕστερον additum est, inquit (pg. 925), arguit illum hominem, qui haec scripserit, quandoquidem viderit postea quoque Aristophanem eorundem hominum operam sibi adscivisse, cum tamen Aristophanes auctor comoediarum vulgo existimaretur, statuisse, primum quidem istos tamquam suas docuisse Aristophanis comoedias, postea autem in agendis fabulis primas suscepisse partes." Videmus igitur jam pridem fuisse qui conjectura investigare conati sint, qua de causa Aristophanes, poëta celebratissimus, palam in certamen prodire gravatus sit; quorum hariolationes nos nil morantur. Ceteri quoque omnes, quos alienas fabulas repraesentavisse novimus, Euphorio, Iophon, Araros, Demostratus, ut poëtae eas commiserunt. Nam verba Athenaei V pg. 216 D. supra apposita pg. 48 recte consideranti illud ostendunt, non Eupolidem, verum Demostratum Autolyci auctorem publice habitum esse. Atque ille cum Callistrato etiam obscurior sit, eorum dubitationes tollit, qui nullius Callistrateae fabulae vel nomen ad nos pervenisse mirati sunt. Attamen etiam aliorum ignobilium poëtarum nomina nobis servaverunt monumenta publica marmore insculpta, quorum fidem nemo sublevare potest. Causa autem Midiana, ad quam Kockius provocat, ut ostendat, chori magistrum interdum mercede conductum fuisse, qualem hominem fabulae titulo adscribi non deceret, aliaque quae huius rei proponit exempla (pg. 16), parum ei prosunt. Nam totius comoediae ratione penitus commu-

tata, cavendum est, nequid ex Demosthenis temporibus ad veterem comoediam temere transferamus: ipse deinde Kockius se optime redarguit; nam illum hominem non *διδάσκαλον* sed *ὑποδιδάσκαλον* fuisse ostendit, quorum etiam plures fuerunt, cf. Plat. Ion. pg. 536 A; quorum singuli, opinor, singulas artes, cantilenas, saltationes, tibiarum cantus, docebant, a quibus longe diversus est *ὁ διδάσκαλος*, qui et *χοροδιδάσκαλος* et *κωμῳδοδιδάσκαλος* dicitur, qui non alius atque poëta fabulae habitus est, cf. Acharn. vs. 9—11:

ἀλλ' ὠδυνήθην ἕτερον αὖ τραγῳδικόν,
ὅτε δὴ 'κεχήνη προςδοκῶν τον Αἰσχύλον,
ὁ δ' ἀνεῖπεν „εἴςαγ' ὦ Θέογνι τὸν χορόν."

Qua in re nihil est quod miremur, dummodo artis scenicae originem animo praesentem habeamus. Itaque ut brevi comprehendam. triplicem sensum quem Kockius verbis *διὰ Καλλιστράτου* tribuit pg. 21 „ut Callistrato aut tam periculum quam gloriam fabulae docendae permissam, aut nihil nisi negotium chori instituendi traditum, fabulam ipsam nomine Aristophanis datam et inscriptam esse, aut denique Callistratum primas in ea partes egisse statuamus", probare non sustinuit, atque Bergkii Dindorfiique ratio, quae primum tantum sensum admittit, sola in examine stare potest.

His vixdum scriptis cunctabundus haesi. Idem enim Dindorfius in Prolegomenis ad Proagonem (ed. Oxon. II pg. 548, 549, 551) de Philonide et Callistrato egit tanquam „de histrionibus primarum partium actoribus, quorum opera fabulas suas docere Aristophanes solitus est, nisi siquam ipse docuit, quod in Equitibus fecit, aut Araroti filio commisit"; quod eo est gravius, quo major apud me summi viri auctoritas habetur. Quo accedit quod etiam C. F. Hermannus in commentatione multis nominibus

eximia (Ind. lect. Marburg a. 1835) pg. IX, χοροδιδάσκαλον eundem ac πρωταγωνιστήν fuisse contendit. Sed Hermannum peculiarem histrionum nationem iis temporibus abjudicantem bene redarguit Kockius, exemplis usus Cleandri Aeschyli et Callippidis Sophoclis; contra Dindorfium autem haud paullum animi mihi reddidit, quod vita Aristophanis ab eodem conscripta ex qua supra pg. 53 nonnulla hausi, quae eandem quae mea est sententiam produnt, iis Prolegomenis multo est recentior, ut tacite errorem correxisse videatur. Χοροδιδάσκαλον, non poëtam, si diversi erant, in publicas tabulas relatum esse, utroque loco docet; hic autem quam diversus sit a protagonista, ipsarum tabularum specimen aliquod, cui injuria temporum pepercit, monumentum Fourmontianum dico (C. I. I 452), ostendit, ubi legimus: Σιμύλος πρῶτος . . . . σίᾳ. ὑπεκρίνετο Ἀριστόμαχος. Διόδωρος δεύτερος Νεκρῷ. ὑπεκρίνετο Ἀριστόμαχος. Διόδωρος τρίτος Μαινομένῳ. ὑπεκρίνετο ΚηΦίσιος. Ad horum monumentorum normam igitur confirmata est didascalia Pacis servata in Argumento IV: πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι. δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτερσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνετο Ἀπολλόδωρος [1]). Vides histrionis nomen in veteribus monumentis addi quidem, sed ita ut eum a fabulae auctore longe diversum esse appareat; is autem cum praemium auferret, quod Dindorfius Callistrato evenisse dicit, idem quoque chorum impetraverat et instituerat; quodsi alienam fabulam produxerat, id archonti perinde erat eiusque rei in didascaliis nullum vestigium apparebat; haud raro etiam aliquis vetustioris poëtae retractatam comoediam suo nomine repraesentavit, unde factum est, ut eadem interdum fabula duobus auctoribus tribueretur, vel duo auctores cognomines fabulas scripsisse dicerentur, quae viris doctis eaedem

---

1) Verba quae sequuntur misere corrupta sunt.

fuisse visae sunt, cf. Meinek. I pg. 31 ss. Grammatici autem qui argumenta composuerunt, histriones nihil curabant; verum ubi fabulam Aristophaneam alieno nomine inscriptam inveniebant, id praeterire non poterant: veteres enim didascalias non integras transcribebant, quae fortasse jam in Aristotelis libro, unde illi hauserunt, paullulum immutatae erant; forte fortuna tamen accidit, ut sola Pacis didascalia, servato histrionis nomine, in argumentum paene integra transierit; cuius a ceteris discrepantia id maxime docet, locutiones *διά τινος διδάσκειν, καθιέναι, εἰςάγειν* de histrione accipi non posse. Sed in hoc cum Hermanno facio, interdum, et antiquitus fortasse plerumque, eundem et *χοροδιδασκάλου* et *πρωταγωνιστοῦ* munus suscepisse; itaque nihil obstat, quominus Callistratum quoque bis terve actorem fuisse existimemus in iis fabulis, quas Aristophanes ipse commisit; qua licentia infra utemur.

Siquis autem adhuc dubitat, num chori magister pro poëta habitus sit atque in omnia eius jura successerit, consulat mihi scriptorum loquendi usum, ut Lys. apud Athen. XII pg. 551 E: *ἃ τοῖς μὲν ἄλλοις αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν, τῶν κωμῳδοδιδασκάλων δ' ἀκούετε καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν.* Isocrat. VIII 14: *ἐγὼ δ' οἶδα μὲν ὅτι πρόσαντές ἐστιν ἐναντιοῦσθαι ταῖς ὑμετέραις διανοίαις καὶ ὅτι δημοκρατίας οὔσης οὐκ ἔστι παρρησία πλὴν ἐνθάδε μὲν τοῖς ἀφρονεστάτοις καὶ μηδὲν ὑμῶν φροντίζουσιν, ἐν δὲ τῷ θεάτρῳ τοῖς κωμῳδοδιδασκάλοις,* et grammaticorum errores et dubitationes, veluti apud Clementem Alexandr. Strom. VI pg. 752: *τὸν μέντοι Κώκαλον τὸν ποιηθέντα Ἀραρότι τῷ Ἀριστοφάνους υἱεῖ.* Athen. III pg. 78 d, XI pg. 502 a, XIV pg. 638 d, XV pg. 684 f, 685 a, Harpocrat. s. v. *Μεταλλεῖς*, Schol. Arist. Ran. 1343, Plut. 179, Schol. Eurip. Andr. 446.

CAPUT QUARTUM.

Ultimo loco nobis inspicienda sunt, quae de lite, quae poëtae ob nostram fabulam a Cleone fuit intentata, memoriae tradita sunt. Sed antea quae de comicorum licentia legibus coërcita, sentiam, breviter liceat exponere. Nam cum in hac quoque re immane quantum dissentiant viri docti et innumerabiles de ea protulerint opiniones, ego quam, nondum cognitis eorum dissensionibus ex fontibus mihi informavi, quamque deinde inspectis eorum libris ab omni parte corroboratam vidi, modeste ut decet, sed tamen libere proferam. Novissime autem quot mihi quidem innotuerunt, de illa quaestione disputaverunt Fredericus Leo (Quaest. Arist. Bonnae 1873) et Otto Keckius (Quaest. Arist. Hist. Halis Sax. 1876), quorum hic omnia quae in Leonis libello minus probare poteram, tam bene refutavit, ut me hoc negotio plane liberaverit; itaque argumenta eius mea facio: finem tamen disputationis admittere non possum, cuius rei quas habeam rationes, deinde addam.

Praemonendum est, comicam licentiam Athenis non, ut vulgo putant, nullis frenis moderatam fuisse, multoque minus ipsis legibus concessam, quod Ciceroni credere poscimur, scribenti (de Rep. IV 10): „apud quos (Graecos

dicit) fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret", et Themistio VIII p. 110 B: τῆς τέχνης αὐτῷ (Eupolidi) διδούσης τοῦ σκώπτειν τὴν ἄδειαν ἐκ τῶν νόμων, neque Bergkius pg. 317 et Meinekius I pg. 39 iis fidem habere debuerant. Ea impunitas, qualiscunque fuit, potius nitebatur in plebis favore; ὁ γὰρ δῆμος, ut ait Platonius I 11, τὸν φόβον ἐξῄρει τῶν κωμῳδούντων, φιλοτίμως τῶν τοὺς τοιούτους βλασφημούντων ἀκούων· ἴσμεν γὰρ ὡς ἀντίκειται φύσει τοῖς πλουσίοις ἐξ ἀρχῆς ὁ δῆμος καὶ ταῖς δυστυχίαις αὐτῶν ἥδεται [1]). Eam autem libertatem infringere conati sunt plebiscitis quibusdam, quorum vetustissimum exemplum extat apud Schol. ad Acharn. 67: ἐπ' Εὐθυμένους ἄρχοντος· οὗτος ὁ ἄρχων ἐφ' οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τὸ περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου. ἴσχυσε δὲ [ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δύο τοὺς ἑξῆς [2])] ἐπὶ Γλαυκίνου τε καὶ Θεοδώρου, h. e. per annos 440—437 a. C. n. Syracosium quendam lege lata circa annum 414 comicam libertatem amputasse constat ex Phrynichi verbis quamvis corruptis apud Schol. Av. 1297: Συρακοσίῳ δὲ κίττα· δοκεῖ δὲ καὶ ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί· ψῶρ' ἔχε Συρακόσιον. ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι· ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν [3]). Monotropum Phrynichus simul cum Aristophanis Avibus in certamen commisit, vid. Arg. I Avium. Sed quas praeterea leges grammatici commenti sunt, Cleonis scilicet (Schol. Ven. ad Vesp. 1291) et Antimachi (Schol. ad Acharn. 1150), pravis interpretationibus debentur, vid. Cob. Observv. pg. 29 et 34, Leo. pg. 22 et 30 [4]). Sed ceteros gravitate facile vincit locus

---

1) Cf. Cobet. Observv. pg. 28.
2) Haec verba absunt in Codice Ravennate.
3) Cf. Cob. Observv. pg. 38. Leo pg. 23.
4) In hac quoque re Fritzschius sibi parum constitit, nam in Comment.

qui est in libello de Republica Atheniensium, olim Xenophonti adscripto, II § 18: *κωμῳδεῖν δ' αὖ καὶ κακῶς λέγειν τὸν μὲν δῆμον οὐκ ἐῶσιν, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἀκούωσι κακῶς, ἰδίᾳ δὲ κελεύουσιν εἴ τίς τινα βούλεται, εὖ εἰδότες ὅτι οὐχὶ τοῦ δήμου ἐστὶν* (Kirchhoffius *ἔσται*) *οὐδὲ τοῦ πλήθους ὁ κωμῳδούμενους ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, ἀλλ' ἢ πλούσιός* [*τις* addidit idem] *ἢ γενναῖος ἢ δυνάμενος*[1]). *ὀλίγοι δέ τινες τῶν πενήτων καὶ τῶν δημοτικῶν κωμῳδοῦνται, καὶ οὐδ' οὗτοι ἐὰν μὴ διὰ πολυπραγμοσύνην*[2]) *καὶ διὰ τὸ ζητεῖν πλέον τι ἔχειν τοῦ δήμου, ὥστε οὐδὲ τοὺς τοιούτους ἄχθονται κωμῳδουμένους.* Qui auctor cum ante annum 413 utique scripserit, maxima cum reverentia audiendus est. Mirum autem quantopere haec verba viros doctos vexaverint, in primis Mueller-Struebingium[3]), qui in Philologo a⁰. 1880 novam editionem et paraphrasin edendas curavit, quibus doctissimam de libelli tempore, auctore et indole disquisitionem praemisit. Ibi pg. 38—46 se non habere profitetur, quid iis verbis faciat, quae cum omnibus quae nobis aliunde de comicorum licentia atque maxime ex comoediis superstitibus nota sunt, flagranti modo pugnare videantur. Ut igitur qudammodo pugnantia conciliaret, suspicatus est, lege illa Dionysiis magnis tantum, quando adessent socii, *τὸ κωμῳδεῖν καὶ κακῶς λέγειν τὸν δῆμον* vetitum esse, itaque in paraphrasi pg. 169 illa verba hoc fere modo

---

de Daetal. pg. 9 (a⁰. 1831) Scholiastae ad Acharn. 1150 verba reprobat, quae in Quaest. Arist. pg. 316 (a⁰. 1835) „quantivis esse pretii sed a nullo adhuc intellecta" praedicat.

1) Cf. quae supra pg. 23 de comoedia disseruimus.

2) Exemplo sit Socrates, qui a duobus simul poëtis comicis petitus est, ab Aristophane in Nubibus et ab Amipsia in Conno, siquidem Casaubonus vera suspicatus est, cf. Meinek. I 203.

3) Nam taceo nunc de iis, qui ut se ex difficultatibus, quas inesse putabant extricarent, discrimen nescioquod deprehendisse sibi visi sunt inter *δῆμον* („den soeverein") et *πόλιν* („den staat"), quos jam satis superque refutavit Mueller-Struebingius l. l. pg. 39 ss. et ante eum Keckius pg. 5 ss.

reddidit; „unum est quod addam, quod amicos nostros, qui ex civitatibus foederatis convenerunt[1]), inprimis advertisse audivi, comicam licentiam non tantam esse quantam suspicarentur. Causa est quod hoc ipso die, quo convenimus, totam rempublicam in scena exhibere non sinunt: nolunt enim male audire apud peregrinos, qui multi hoc tempore huc congregantur." Verum hae sollicitationes facile sublevantur, modo ne verba *οὐκ ἐῶσιν* ita accipias, quasi hoc lege sancitum fuisset, ut jam monuit V. Cl. Cobetus in libro saepius laudato pg. 32 his verbis, quae etiam operae pretium est excribere: „minime necesse est, ut verba haec de publica auctoritate accipiantur, sed indicat Xenophon consuetudinem, quam comici, quos populi plausus ducebat (nam hoc erat *κελεύειν*), sequi solebant." In eandem sententiam nuper de iis verbis moderate et circumspecte egit H. Schraderus in Philologo XXXVI a⁰. 1877 pg. 411. Illud igitur ex his verbis neque non ex rei natura sequi videtur, Atheniensibus cordi fuisse, ne comicorum licentia usque eo progrederetur, ut verba jactarent quae rempublicam contumelia afficerent, quaeque civitati periculum afferre possent; atque inde omnibus licere, sicui poëta aliquis modum excessisse visus esset, eum apud senatum majestatis reum postulare, ubi siquis privatas comoediae injurias questus esset, cum risu eius querela accepta esset, verum ubi civitatem damnum accepisse ostendere susciperet, avide audiebatur. In hac luce nunc examinemus duo illa plebiscita supra memorata, quorum utrumque varias explicationes passum est. De lege quae praetore Morychide lata est, scribit Mueller-Struebingius (ut unum

---

1) Putat enim hunc libellum conscriptum esse, ut magnis Dionysiis coram conjuratis optimatibus, maxime insulanis, qui tunc Athenis morabantur, recitaretur, de qua conjectura nunc non agam.

pro multis producam), apud se non constare, utrum ea lege cautum sit nequa fabula doceretur antequam ab archonte (vel a senatu?) probata esset, an chorus per eos annos sublatus sit. Neutrum mihi verum videtur, atque hoc quidem quia non puto chorum, h. e. parabasin praecipue politicis rebus destinatam fuisse cf. (supra pg. 39), illud autem, quia nil novi inductum esset; nam ut ipse Mueller-Struebingius in libro saepius laudato „Arist. u. d. hist. Krit." pg. 704 scribit, probabile est, magnis inprimis Dionysiis archonti multo plures comoedias offerri solitas esse, quam agi possent. Itaque eligere debebat, qua in re eum suo arbitrio defunctum esse ostendunt Cratini fragmenta haecce apud Hesychium: Πυρπερέγχει (Πῦρ πυρὶ ἔγχει Bergkius). Κρατῖνος ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος, ἐπειδὴ χορὸν οὐκ ἔλαβε παρὰ τοῦ ἄρχοντος παρ' οὗ ᾐτήκει (ultima ex emendatione Casauboni), et apud Athenaeum XIV pg. 638 d de Gnesippo: Κρατῖνος — σκώπτει αὐτὸν εἰς τὰ ποιήματα καὶ ἐν Βουκόλοις·

ὃς οὐκ ἔδωκ' αἰτοῦντι Σοφοκλέει χορόν,

et quae sequuntur, cf. supra pg. 48. V. Cl. Cobetus autem, qui l. l. pg. 9 ss. de hac lege disputavit, egregie quidem locutionem κωμῳδεῖν τινα adumbravit, verum non hoc dictum est in Scholio, sed illud, legem latam esse περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, quod discrimen primo obtutu leve fortasse videbitur, nequaquam tamen negligendum est. Nam si τινά additum esset, non possemus non ad Cobeti sententiam accedere, nunc autem aliam explicationem quaerere in concessis est. Jam si attendimus, eam legem latam esse durante Sami oppugnatione, post ea quae supra dixi non nimis audax, uti spero, conjectura videbitur, hac lege poëtas prohibitos esse, quominus in gravissima reipublicae contentione de Atticis institutionibus et inprimis de foederatarum urbium statu agerent, ne reliquorum sociorum

jam alienatas mentes magis etiam alienarent [1]). Duobus autem annis post, cum sedatis utrimque animis sine damno reipublicae fieri posset, lex abrogata est. Itidem Syracosii lege cautum esse puto, ne res, quae ad Hermocopidarum litem pertinerent, a comicis poëtis coram populo tractarentur; atque hoc ei qui celeberrimae illius causae historiam bene cognitam habet, tam manifestum est, ut vel nulla fretus auctoritate talem tum legem latam esse contenderet. Quam opinionem, in quam etiam alii inciderunt, pluribus commendare, etsi facilis res est, nunc supersedeo, nam ut promissam fidem solvam mihi adhuc cum Keckio decertandum est, cuius disputationis finis hic est, ut ostendat, legem fuisse Athenis, cui haec fere vis inesset: „ut nominarent magistratus semper erat poëtis comicis permissum, dum ne ipsos in scenam producerent," sed addamus oportet: „nominatim producerent" [2]). Quod ut refutem eo magis adducor, quo in omnibus quae contra adversarios, Leonem maxime disputavit, magis ei assentior, quoque diligentius causae suae patrocinatus est. Quae autem ei opponenda habeo, haec fere sunt. Si talis lex Athenis viguisset, equidem non intelligo, quomodo Aristophanes, cui ob Babylonios diem dictam esse scimus, unquam absolvi potuerit in crimine tam manifesto (cf. infra), et praesertim accusante Cleone, accusatorum vehementissimo et cuius apud heliastas et senatum maxima erat auctoritas. Deinde quod Keckius ipse aliena persona nomineque ficto magistratus exagitare licitum esse re coactus concessit: stultissimi mortalium, opinor, Athenienses fuissent, qui nomini

---

1) Cf. Mueller-Str. in Philologo pg. 43.

2) Pg. 10; cf. pg. 64 „cautum erat, ne magistratus aperte in scenam producerentur; persona contra aliena nomineque ficto usi ne eos quidem exagitare inque scenam producere poëtae vetabantur."

tantam vim inesse putarent, ut eum qui magistratum tantum non personatum, quippe cui ne persona quidem ad similitudinem oris conformata deesset [1]) in scenam produxisset atque omni contumeliarum genere conspersisset, qui talem poëtam dico legi satisfecisse existimarent, quod scilicet nomen pronuntiare sedulo vitasset, quo ei ut hominem notaret minime opus erat. Vel si legis verba in eum modum concepta erant, ut poëta, qui talem fabulam commisisset, laedi non posset, ne unum quidem annum, credo, intacta remansisset, cum Athenienses vel una comoedia qualis fuit Equites repraesentata, quam plane vana atque inutilis esset, luculenter perspexissent. An putat Keckius, legem istam post Babylonios actos latam esse neque ante annum 424 quemquam extitisse, qui hominem potentem atque eundem magistratum „persona aliena nomineque ficto usus" traducere conatus sit? Haud crediderim. Quid autem, quod Cleonis nomen Equit. vs. 976 occurrit hisce:

ἥδιστον φάος ἡμέρας
ἔσται τοῖσι παροῦσι πᾶ-
σιν καὶ τοῖς ἀφικνουμένοις,
ἢν Κλέων ἀπόληται.

quae verba ut cum sua opinione conciliaret Keckius, nullum remedium invenit, praeter conjecturam parum probabilem *ἢν οὗτός γ' ἀπόληται*, cui etiam metrum obstat, nam in antistropha primus pes etiam trochaeus est, non spondeus (*παῖδες οἳ ξυνεφοίτων* vs. 989). Nam quod dicit se

1) Locum vexatissimum Equit. 230—33 tandem idoneam explicationem nactum esse vehementer gaudeo; nam V. Cl. Naberus, praeceptor meus honoratissimus, nuper in Mnemosyne X p. IV pg. 360 ex iis ipsis verbis, quae adhuc ab omnibus perperam intellecta sunt, collegit, histrionem, qui Cleonem agebat, ipso vultu totoque corporis habitu quam exactissime posset notam personam demagogi retulisse.

non intelligere cur poëta, qui per totam fabulam Cleonis nomen pronuntiare anxie vitaverit, hoc uno loco subito consilium reliquerit, respondendum est, ipsius comoediae oeconomiam Cleonem nominatim induci vetuisse, pariter ac Niciam et Demosthenem in prima scena; legem nemo desiderat. In Vespis causam Lachetis suavissima parodia traduci quis dubitat? Atheniensium certe nemo dubitavit; atqui quam illepide egisset poëta, si Lacheta et Cleonem personatos certantes induxisset? Quis non sentit omnem sic leporem penitus perire? Num igitur lege eum prohibitum esse censeamus? Itidem in Equitibus per omnia sedulo operam dedit, ut ne verae personae spectatores laterent; sub finem autem fabulae, in chori cantico praesertim, verum Paphlagonis sui nomen ei semel excidisse nemo mirabitur, nisi qui Keckianae legis patrocinium suscipere velit [1]). Nomine autem retento suam defensionem nimis futilem fieri, ipse Keckius candide professus est pg. 77. Nunc enim nullis rationibus evinci potest, Cleonem non personatum ab Aristophane in scenam productum esse; ista lex igitur si viguisset, non potest non Aristophanes in summum discrimen vocatus esse, cum malevolorum hominum accusationibus quasi sponte se obtulisset; quo in judicio se legem violasse sine dubio obstinate negavit, quod scilicet non Cleonem sed servum Paphlagonem nescioquem irrisisset; quodsi mirantibus omnibus periculum tamen salvus superavit, cautius in posterum de ea re locuturus fuisset; vide modo, ut in Acharnensibus, postquam ob Babylonios accusatus vixdum poena liberatus est, se contra inimicorum calumnias muniverit. Sed impetum in Cleonem a se factum esse adeo nunquam dissimulavit, ut vel glo-

1) Ceterum neque iis quae de Cleonis magistratibus protulit adstipulari possum; sed hoc nihil ad rem.

riosis verbis suam in hac re audaciam haud semel jactaverit; jam statim in Vespis vivo Cleone libere profitetur vs. 62:

οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,
αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

Keckii igitur rationibus quam diligentissime perpensis denuo mihi persuasi, perpetuam quandam legem de comicorum licentia Athenis non extitisse, atque omnes omnium conatus, qui quid ea lege vetitum esset, inquisiverunt, frustra fuisse, et nihil a quoquam prolatum esse, quod cum factis, quae nobis tradita sunt, ab omni parte reconciliari possit: contra omnia, quae illi in suam causam adtulerint, moribus Atheniensium et rerum naturae potius quam legis jussis deberi. In quo hoc etiam est, archontes ideo produci non solere, (quamquam et hoc Aristophanes in Babyloniis ausus est), quod eorum temporibus *τῆς ἄκρας δημοκρατίας* exigua esset auctoritas; praetores autem, qui rem militarem tantum administrarent, quae partium contentiones non adeo excitat, comoediae idoneam materiam non praestitisse consentaneum est; sed qui praetores iidem etiam erant *τῶν πολιτευομένων*, hi omnes a comicis acriter traducti sunt. Certam legem in his equidem deprehendo nullam. Quod idem dictum sit de observatione quam Mueller-Struebingius in Philologo pg. 46, et multo ante jam Leo pg. 31 promulgavit, maximam licentiam apparere in fabulis quae Lenaeorum ludis actae sunt [1]), contra quas Dionysiis magnis doctas esse scimus [2]), eas *ἰδίᾳ κωμῳδεῖν καὶ κακῶς λέγειν*; nam hoc quoque poëtarum prudentiae potius quam disertis alicuius legis verbis tribuendum esse existimo; quamquam et hic iterum de iis temporibus tantum cogitare cogimur, quae Babyloniorum repraesen-

1) Sunt hae Acharnenses, Equites, Vespae, Lysistrata, Ranae.

2) Nubes Aristophanis, Cratini Lagoenam, Amipsiae Connum, Phrynichi Monotropum, Eupolidis Adulatores.

tationem secuta sunt, siquidem Aristophanes absolutus est. Itaque donec meliora docebor, meam de comicorum restricta licentia sententiam et omnibus quae nobis fide digna tradita sunt et rebus ipsis maxime accomodatam habeo. Quibus praemonitis jam tempus est, ut ad ipsam Babyloniorum causam propius accedamus, qua haec omnia quae dixi egregie confirmatum iri spero.

Loci qui huc faciunt, hi sunt: Acharn. 377—382:

αὐτός τ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅπαθον
ἐπίσταμαι διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν·
εἰςελκύσας γάρ μ' ἐς τὸ βουλευτήριον
διέβαλλε καὶ ψευδῆ κατεγλώττιζέ μου,
κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν, ὥστ' ὀλίγου πάνυ
ἀπωλόμην μολυνοπραγμονούμενος.

ubi Scholiasta: *διὰ τὴν πέρυσι κωμῳδίαν· τοὺς Βαβυλωνίους λέγει· τούτους γὰρ πρὸ τῶν Ἀχαρνέων ἐδίδαξεν Ἀριστοφάνης, ἐν οἷς πολλοὺς κακῶς εἶπεν. ἐκωμῴδησε γὰρ τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς καὶ Κλέωνα, παρόντων τῶν ξένων. καὶ διὰ τοῦτο ὀργισθεὶς ὁ Κλέων ἐγράψατο αὐτὸν ἀδικίας εἰς τοὺς πολίτας, ὡς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ταῦτα πεποιηκότα. καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνα ἐνέβαλεν.* His adde Acharn. 501—508:

ἐγὼ δὲ λέξω δεινὰ μέν, δίκαια δέ.
οὐ γάρ με νῦν γε διαβαλεῖ Κλέων ὅτι
ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
αὐτοὶ γάρ ἐσμεν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών,
κοὔπω ξένοι πάρεισιν· οὔτε γὰρ Φόροι
ἥκουσιν οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι·
ἀλλ' ἐσμὲν αὐτοὶ νῦν γε περιεπτισμένοι·
τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω [1]).

---

1) Ultimum versiculum cum plerique damnassent, bene meo quidem judicio defendit Mueller-Struebingius pg. 612 sqq.

et mox 514, 515:

ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω,
μέμνησθε τοῦθ', ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω.

cum Scholio ad 503: *ξένων παρόντων. διὰ τὸ ἐν τοῖς Βαβυλωνίοις πολλῶν παρόντων ξένων εἰρηκέναι κατὰ πολλῶν (κακὰ πολλούς* Wyttenbachius).

Ex hic qualis causa fuerit satis cognoscimus. Per *εἰςαγγελίαν* enim Cleon poëtam apud senatum majestatis reum postulavit, quod magistratus, tam eos qui sorte quam qui comitiis creabantur, ludificatus sit in contumeliam reipublicae, quod eo minus excusandum esset, quia eo tempore legati, qui foederatarum civitatium tributum Athenas portaverant, in theatro adfuissent. Crimen igitur fuit *ἀδικίας* neque inconsulto in Acharnensibus Aristophanes totiens *τὸ δίκαιον* in ore habet, vid. vs. 501, 645, 655, 661 cf. Leo. pg. 33; et libellus accusationis in hunc fere modum conformatus erat: *Ἀριστοφάνης ἀδικεῖ κωμῳδῶν τάς τε κληρωτὰς καὶ χειροτονητὰς ἀρχὰς εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς, καὶ τοῦτο παρόντων τῶν ξένων*, cf. Xen. Memor. I 1, 1. Quod crimen gravissimum quodammodo ab Aristophane ipso agnitum vidimus in Acharnensium parabasi, cf. supra pg. 36—39. Lex, quam reus a Cleone violasse dictus est, nusquam apparet; neque id Cleon poëtae vitio vertit, quod magistratus risisset, sed quod *εἰς ὕβριν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς* id fecisset, atque eo tempore, quo tales joci reipublicae cummaxime periculosi videri possent. Jam quod Cleonem hic facientem videmus, illud ipsum est quod Pseudo-Xenophontis verbis indicari supra affirmavi: jocosa comicorum dicta nemo curabat, nisi ubi ipsa populi majestas communisque salus civitatis affectae viderentur. Quod tum ab Aristophane, juvenili scilicet ardore abrepto, commissum esse, Cleoni facile credemus, dummodo bene me-

moria teneamus, anno superiore Mytilenaeos castigatos esse, quorum defectio Atheniensium dolorem acerbissime exacuerat, neque immerito; nam si ii, quos ipsorum consensu semper prae ceteris ut socios atque amicos honoraverant, haud scio insolentius magis an perfidius, cum hoste conspiraverant, ipsa fundamenta Atheniensium imperii labefacta videbantur; pessimum enim defectionis exemplum datum erat, classisque Peloponnesiorum in Ioniae littora evocata, ubi nunquam antea conspecta erat, totumque bellum novam quasi viam inierat, de qua re vide omnino Onckenium, Athen. und Hellas II pg. 181. Itaque, licet privata fortasse injuria solitam Cleonis acrimoniam etiam instigasset, candido tamen animo eum reipublicae saluti prospexisse censeo. Atque quis hodie, quaeso, eum qui in tali summae rei discrimine patriae maledixisset atque eos ipsos, qui ei nocere quam maxime parati essent, quae essent eius partes infirmiores, palam docuisset, fuerit vel praestantissimus poëta, insontem vel patriae amantissimum duxerit? Nemo opinor, nisi qui Aristophanem suum, quem ut deum colunt, ab omni semper culpa liberum fuisse sibi persuaserint. Equidem certe verae Aristophanis laudi multo melius mihi consulere videor, quem poetam habeo unum omnium suavissimum et elegantissimum, in rebus autem politicis partium studio saepe erravisse atque omnino harum rerum non optimum fuisse judicem existimo [1]). Quotiescunque igitur comicam libertatem decurtatam esse vidimus (sc. post Sami defectionem, post Mytilenam captam et in causa Hermocopidarum), in summo tumultu atque universa animorum perturbatione, gravissimis impendentibus periculis, id factum esse apparet. Sed ut ad

---

1) Cf. Mueller-Str. pg. 72—74, 106—112.

nostram causam revertamur, Cleonem in contione post magnorum Dionysiorum festos dies ad crimina in illis commissa expedienda in theatro habita populi praejudicium per προβολήν impetrasse, praeter Leonem nemo, opinor, arbitratus est, qua in re adversarium nanctus est optimum, H. Schraderum in Philologo l. l., a quo eum ita profligatum esse existimo ut humi jacienti insultare equidem noluerim.

In summum se discrimen venisse, id tamen salvum superasse, ipse testatur poëta Acharn. vs. 381. Unde mihi hoc apparere videtur, senatum eum criminis quidem teneri judicasse, sed delictum eius non tanti aestimasse, ut Heliastis cognoscendum mandaretur, quae sine dubio Cleonis sententia fuit; res enim in senatu dijudicata esse videtur, ac fortasse Cleon eodem modo ac Euergi accusator (cf. Dem. in Euerg. pg. 1149—1152) precibus rei et senatorum exhortationibus concessit, ut parvula pecunia multaretur, quae poena adversariis nimirum aequo multo levior videbatur, ita ut eorum criminationes etiam causa dicta minime requiescerent; nam in Acharnensium parabasi praesenti tempore utitur poëta (διαβαλλόμενος ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν — ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν κτἑ.).

Cum ordinem argumentationis meae turbare nollem, hucusque non distinxi, utrum Aristophanes an Callistratus poëta a Cleone in jus vocatus sit; quam quaestionem post egregias summorum virorum [1]) disputationes paucis nunc absolvam. Etenim si supra recte statui chori magistrum in omnia poëtae jura successisse, non potest dubium videri, quin ei quoque molestiae, quas comoedia provocavisset, subeundae essent; in eorum igitur sententiam discedo, qui Callistra-

1) Quorum contrarias opiniones collatas vide apud Schraderum l. l. pg. 385 ss.

tum reum factum atque ad eum omnia quae de illa causa ex Acharnensibus supra laudavimus, pertinere pro explorato habent. Cuius rei unus certe auctor extitit, sed qui veterum grammaticorum genus prudentia et ingenio longe superat, Scholiastam dico ad Vesp. 1285: *ἄδηλον πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰσήγαγεν*, et cetera, quae nunc quidem nihil nos morabuntur; illud tantum advertendum est, hunc hominem, quisquis ille fuit, ne dubitasse quidem, quin Cleonis accusatio Callistrato intentata fuerit. Parvulus autem extat libellus quantivis pretii, cui meritum honorem reddere volo; nam in eo jam omnia argumenta breviter, sed ita ut omnibus satisfacere debuissent, exposita sunt quibus posteriores omnes ad eandem opinionem probandam usi sunt. Est haec commentatio C. F. Hermanni jam supra laudata, quam Indici Lectionum Scholae Marburgensis anni 1835 subjecit. Is jam pridem monuit verba quibus incipit Acharnensium parabasis:

ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν,
οὔπω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον λέξων ὡς δέξιός ἐστι,

ridicula esse si ea de juvene poëta accipimus, qui tres tantum comoedias commiserat, omnes autem alieno nomine inscriptas, vel si Hannovio auctore, contra omnium grammaticorum fidem Babylonios et Acharnenses ab ipso poëta datas esse putamus, non plus semel ante hanc Acharnensium fabulam palam prodierat. Sed illa verba necessario poëtam indicant, qui jam diutius in scena versatus erat; Aristophanem autem ita loqui debuisset: *ὅτε πρῶτον ἐφέστηκεν κτέ.* „et ne *διδάσκαλον*, pergit Hermannus (pg. VIII) histrionem modo vel cantorem esse putemus, sequentia, si nihil aliud, illud certe docent, quem Cleo in judicium rapuerit, eundem esse qui Acharnensium *διδάσκαλος* audiat;

qui si Aristophanes quippe novitius poëta esse non poterat, calumnia illa ad alium pertinebat, neque Aristophanis sed Callistrati illae querelae sunt, quem διδάσκαλον Acharnensium veteres didascaliae perhibent." Quae verba non majorem vim persuadendi exercuisse mirari non desino. Nam solam causam, cur complures hanc opinionem amplecti dubitaverint, idem Hermannus detexit simul et refellit. In eadem enim parabasi paulo infra legitur (vs. 643 sqq.):

τοιγάρτοι νῦν ἐκ τῶν πόλεων τὸν φόρον ὑμῖν ἀπάγοντες
ἥξουσιν, ἰδεῖν ἐπιθυμοῦντες τὸν ποιητὴν τὸν ἄριστον,
ὅστις παρεκινδύνευσ' εἰπεῖν ἐν Ἀθηναίοις τὰ δίκαια.
οὕτω δ' αὐτοῦ περὶ τῆς τόλμης ἤδη πόρρω κλέος ἥκει,
ὅτε καὶ βασιλεὺς Λακεδαιμονίων τὴν πρεσβείαν βασανίζων,
ἠρώτησεν πρῶτα μὲν αὐτοὺς πότεροι ταῖς ναυσὶ κρατοῦσιν,
εἶτα δὲ τοῦτον τὸν ποιητὴν ποτέρους εἴποι κακὰ πολλά.
τούτους γὰρ ἔφη τοὺς ἀνθρώπους πολὺ βελτίους γεγενῆσθαι,
κἂν τῷ πολέμῳ πολὺ νικήσειν, τοῦτον ξύμβουλον ἔχοντας.
διὰ ταῦθ' ὑμᾶς Λακεδαιμόνιοι τὴν εἰρήνην προκαλοῦνται,
καὶ τὴν Αἴγιναν ἀπαιτοῦσιν· καὶ τῆς νήσου μὲν ἐκείνης
οὐ φροντίζουσ', ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφέλωνται.

quae quamquam per comicam exaggerationem immaniter aucta sunt, aliquam tamen nominis celebritatem arguunt. Quod illi non Callistrato, sed Aristophani soli convenire ajunt, obliti tunc temporis Callistratum vel Aristophane celebriorem fuisse, quippe qui multo plures fabulas docuerat; „neque si in Aristophanis fabulis tantam vim inesse putant, ut illam magniloquentiam meruerint, ulla causa est cur quod in Aristophanem convenire volunt, Callistrato non concedant, cui is ipse suas partes agendas tradidisset, atque praepostere egerunt, cum ideo tantum suo nomine Callistratum egisse negent, quia Acharnensium

loci minus in hunc conveniant, qui etiam magis convenient, modo utramque fabulam suo illum nomine egisse didascaliis credamus." Praeterea non negligendum est poëtam in parabasi Pacis, quam suo nomine docuit, ubi de suis rebus disserit, de se ut de chori magistro loqui, vid. vs. 738:

ἄξιος εἶναί φησ' εὐλογίας μεγάλης ὁ διδάσκαλος ἡμῶν.

deinde mox ad primam personam transit vs. 754:

καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι πάντων αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι.

Sed in Vesparum parabasi, quam fabulam a Philonide datam esse scimus, voce διδάσκαλος sedulo abstinet, et se fabulae poëtam dicit his verbis (vs. 1016):

μέμψασθαι γὰρ τοῖσι θεαταῖς ὁ ποιητὴς νῦν ἐπιθυμεῖ·

et (vs. 1049):

ὁ δὲ ποιητὴς οὐδὲν χείρων παρὰ τοῖσι σοφοῖς νενόμισται.

quod eum tunc tot fabulis editis victoriisque reportatis fecisse, non est quod miremur; verum minime hinc sequitur, jam in Acharnensium parabasi vocem ὁ ποιητής ad verum auctorem, Aristophanem dico, referendum esse, quo argumento utor contra Schraderum, qui quamquam ipse eius vim agnoscit (pg. 400), tamen eo minus valere putat, quod jam tunc quis verus Acharnensium auctor esset, Atheniensibus innotuisset. Cui opinioni non optime congruunt, quae ipse pg. 397 de versibus 498, 99 disseruit:

εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν
μέλλω περὶ τῆς πόλεως, τρυγῳδίαν ποιῶν.

quae verba tuto ex Callistrati persona accipi posse docuit, qua in re plane cum eo facio. „Nam Aristophanes, inquit, eum illa verba dicentem fecit, qui publice auctor fabulae

habitus est; neque verbum *ποιῶν* premendum est sed *τρυγῳδίαν*, quam et seriis rebus convenire poëta affirmat." Itaque nullus dubito, quin omnes loci, quos supra congessimus, ex Callistrati persona dicta sint; ibique si Dicaeopolis prima persona usus est, cum Schradero Callistratum ipsum eius personam egisse puto; nam verba illa *αὐτός τ' ἐμαυτὸν ἄπαθον κτέ.* in cuiusvis ore prorsus inepta sunt, nisi pronuntiata ab eo, qui ipse eam injuriam passus erat; Dicaeopolidi certe minime conveniunt. Verum siquis etiam ulterius progredi atque ea verba a Callistrato etiam conscripta esse (ut Eupolidem Aristophani subvenisse novimus), conjicere velit, equidem ei non obstiterim. Nam in iis verbis nihil, reprehendi quod peculiarem Aristophaneum prae se ferat colorem [1]), et acerbitas orationis magis ipsam Cleonis victimam decere videtur. Verum haec hactenus; causae autem majestatis peregrinitatis accusationem subjungunt auctores, ut Schol. ad Acharn. 738 (vide supra pg. 66) et auctor Vitae XII: *διεχθρεύσας δὲ μάλιστα Κλέωνι τῷ στρατηγῷ καὶ γράψας κατ' αὐτοῦ τοὺς Ἱππέας, αὐτὸς ὑπεκρίνατο. ὁ δὲ ξενίας αὐτὸς κατ' αὐτοῦ ἔγκλημα ἔθετο· καὶ γὰρ δή φασί τινες αὐτὸν Ῥόδιον γεγονέναι. — δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγεν. ὅθεν φησὶν „αὐτὸς δ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἄπαθον κτέ."* [2]) Quae illi mihi non ex loco aliquo Aristophanis parum intellecto suo Marte commenti esse videntur, sed ex bonis et vetustis fontibus hausisse, quo me etiam ducit notum

---

1) De parabasi autem idem affirmare non ausim.

2) Eadem fere in vita longiore XI, sed ridicule prorsus turbata, quibus Schraderus transpositis aliquot verbis mederi conatus est. Jam supra dixi hunc hominem mihi quidem nulla omnino medela dignum videri; neque ulla transpositio verbis absurdis ut: *καὶ αἴτιος αὐτῷ* (Κλέωνι) *γέγονε ζημίας πέντε ταλάντων ὥς φησιν ἐν* Ἀχαρνεῦσιν (vs. 5), et *δι' ἑαυτοῦ ὁ* Ἀριστοφάνης *ὑπεκρίνατο* pro *αὐτὸς ὑπεκρίνατο* ut est in Vita XII l. 15, et similibus idoneum sensum reddere potest.

Eupolidis fragmentum supra laudatum pg. 52 [1]). Quas duas accusationes majestatis et peregrinitatis Schraderus ita secrevit, ut illam in Callistratum paratam et Acharnensibus actis jam absolutam, hanc autem in Aristophanem ipsum intentatam atque eo tempore nondum dijudicatam esse affirmaret. Quam opinionem, quae eius disputationis finis est, tanta eruditione tantaque πειθανάγκῃ defendit, ut inter legendum vix ei adstipulari nequeas; diu certe fuit, cum ego in eius sententiam totus ire paratus essem; sed re iterum atque iterum inspecta hic illic rimas detexi, ubi aedificium male cohaeret, ut labefactari posse videatur, quas nunc cum lectoribus communicare licebit. Orationis summa haec fere est: si tempore quo Acharnenses edita est vera ratio quae inter Aristophanem et Callistratum intercedebat jam paulatim innotuerat, poterat jam Aristophanes in ea fabula ad illam respicere. Itaque cum in parabasi a voce διδάσκαλος exorsus deinde ad verbum ποιητής transeat, prima de Callistrato, sequentia de Aristophane dicta esse possunt. Quod deinde Lacedaemonios nullam aliam ob causam pacem rogare atque Aeginam repetere dicit, quam ut Atheniensibus illum poëtam, semet ipsum scilicet, eriperent, ea res tam mira est, atque a vero rerum statu tantopere abhorret, ut nisi gravissima de causa, Aristophanes eam comminisci non potuerit, ne ineptus et frigidus fieret. Quam causam eam esse affirmat Schraderus, quod nondum sublevatus erat peregrinitatis crimine, quo a Cleone petebatur, qui eum ut Aeginetam e civium numero eximere moliebatur, contra quem nunc populi auxilium implorat; hanc enim vim inesse verbis quae leguntur vs.

---

1) Non igitur facio cum iis qui causam peregrinitatis prorsus commenticiam esse putarunt, inter quos fuerunt Mueller-Struebingius, Rankius, Teuffelius, alii.

655 sqq., quae nisi ita accipias, futilem continere captationem benevolentiae. Atque in his quidem omnibus nihil quidem inesse quod ad Callistratum referre vetemur; tamen ad Aristophanem ea idcirco spectare, quod Callistrato nulla causa extiterit, cur tam obscure et circumspecte de hac re loqueretur: eodem prorsus modo, quo, si utramque litem Aristophani intentatam esse constaret, eum vss. 377 sqq. et 501 sqq. tam libere de ea dicere nostro jure miraremur, in fabula utique cuius alius auctor esse perhibebatur. Quae omnia Schraderus, ut par est, oratione continua exposuit, in qua singula egregie prorsus tractata sunt, ita ut lectores eius fugere possit, ultimum tantum argumentum, eam scilicet reticentiam Callistratum non decere, totius disputationis fulcrum esse; quod ubi ei subtraxeris, cetera omnia, ut sint verissima, omnem persuadendi vim amittunt. Atqui hoc non eiusmodi est, ut per se rem conficere posse videatur; sexcentae rationes Callistratum ad hoc consilium adducere potuerunt, quae nobis numquam appariturae sunt; verum, quamtumvis occulte haec dicta sint, imprudenter tamen, sive Aristophanes is fuit sive Callistratus, Cleonem in ea fabula haud semel adgressus est, si ei adhuc contra illum perorandum erat. Nihil igitur certi atque probati a Schradero prolatum est; enimvero cetera quoque argumenta, quibus sibi ad conclusionem viam munivit, speciosiora quam veriora esse ostendere conabor. Jam supra monui verba qua parabasis exoritur, praesenti tempore efferri. Non igitur verum esse potest, quod omnes quantum scio arbitrati sunt, eos versiculos ad illam majestatis litem spectare, quam tunc jam dijudicatam esse ex vss. 377—382 liquido constat; sed contra inimicorum calumnias, qui ad praesentem diem mussitare pergebant, se ut muniat poëta, sua erga populum merita extollit. Quae si recte statuimus, jam statim discrimen illud quod inter parabaseos

exordium et finem Schraderus deprehendisse sibi videtur, ut priora de superato, sequentia de imminenti periculo agant, nullum esse apparet; utraque enim de re praesenti agunt; fieri tamen potest ut diversas res respiciant. Quare sequentia examinemus. „Haec mea magna merita, inquit, intellexerunt socii, qui ut me visant, libenter tributum solvent; nec non rex Persarum, qui Lacadaemoniorum legatis exposuit duo esse, quae iis ad devincendos hostes deessent; imperium maris et mei possessionem: eos enim, quibus hic poëta maxime maledicat, facile victuros esse." Hucusque nihil offendimus, quod non ad eandem accusationem *ὡς κωμῳδεῖ τὴν πόλιν καὶ τὸν δῆμον καθυβρίζει* pertineat, ideoque de eodem necessario dicta sit, qui hoc crimine accussatus erat; qui igitur vs. 650 *οὗτος ὁ ποιητής* audit, non potest diversus esse ab eo qui vs. 628 *ὁ διδάσκαλος* dictus est; quo argumento Schraderi ratio penitus evertitur. Sed supersunt nobis, quae omnium maxime Schraderum commoverunt, ut de peregrinitatis causa cogitaret. Pergit enim poëta: „hoc audito Lacedaemonii consilium inierunt ut me vobis eriperent; quod ut impetrarent, pacem vobis proponunt et Aeginam repetunt; atque eam insulam nihil curant, *ἀλλ' ἵνα τοῦτον τὸν ποιητὴν ἀφελῶνται.*

ἀλλ' ὑμεῖς τοι μή ποτ' ἀφῆθ', ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια.
φησὶν δ' ὑμᾶς πολλὰ διδάξειν ἀγάθ' ὥστ' εὐδαίμονας εἶναι,
οὐ θωπεύων, οὐδ' ὑποτείνων μισθούς, οὐδ' ἐξαπατύλλων,
οὐδὲ πανουργῶν, οὐδὲ κατάρδων, ἀλλὰ τὰ βέλτιστα διδάσκων."

Haec ex Schraderi sententia non possunt esse mera captatio benevolentiae, sed spectant ad praesens periculum, quod poëtam ex peregrinitatis accusatione manebat. Quod si verum esset, *τὸ πνῖγος* in hunc fere modum conceptum esse debuerat: „sed vos si mihi aderitis, frusta erunt Lacedaemonii, nam vos vel bellum ducere maletis, quam

me omittere, qui vobis quasi pignus sum victoriae." Non enim poterat Cleon nominari, siquidem poetae tam occulte de ea causa dicendum fuit quam Schraderus opinatus est, vide supra. Nunc autem quid audimus?

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται κοὐ μή ποθ' ἁλῶ
περὶ τὴν πόλιν ὥσπερ ἐκεῖνος
δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Ipsum testor Schraderum, pertinentne haecce ad causam peregrinitatis an ad crimen ἀδικίας καὶ ὕβρεως εἰς τὴν πόλιν? Nonne eo quoque spectant verba ὡς κωμῳδήσει τὰ δίκαια (vs. 655), quorum subjectum τοῦτον τὸν ποιητήν (vs. 654) modo vidimus eundem esse, qui initio parabaseos ὁ διδάσκαλος dicatur? Itaque cum tam finis quam exordium de eadem re agunt, totam huc parabasin referendam esse contendo. Ultima autem et τὸ πνῖγος et hic et ubique alibi nihil aliud sunt quam captatio benevolentiae; vid. Equit. 544—550, Nub. 567, 562, Vesp. 1048—1059, Pac. 765—774 et quodammodo etiam Av. 725—736; atque illud μή ποθ' ἀφῆτε idem valet ac: „concedite mihi victoriam." Haec quoque causa est, cur in τῷ πνίγει ad primam personam transeatur, quod etiam in suam causam attulit Schraderus; namque ea ex sua persona dicit coryphaeus, quamquam ad praesentem poëtae statum accomodata sunt, ut poëtis facere necesse erat, ut τὰ πνίγη quam maxime variarent [1]). „At, inquit Schraderus, undenam mirificum illud dictum de Lacedaemoniis, qui tunc temporis longe aberant ut pacem rogatum Athenas venirent, ut ex Thu-

---

1) Itaque omnis simul causa cecidit, cur Aristophanem in hac fabula coryphaei munere functum esse putemus, quo Schraderus fere necessario devenit.

cydide constat? Hoc verae rerum condicioni tantopere repugnat, ut non potuerit a poëta temere excogitari." Rectissime hoc quidem observatum est; verum quam causam subesse putat, eam multis nominibus improbabilem esse ostendisse nobis videmur; sed non desperandum est fore ut vera causa investigetur, modo verba ista paulo curiosius inspiciamus, nam aliud quid iis inesse, quod a Schradero non animadversum est, mihi persuasum est atque lectoribus quoque me probare posse confido. Vertamus modo: „Lacedaemonii vos ad pacem invitant" — quid deinde? Num Nisaeam, Pegas, Troezena, Haliensem agrum reddere parati sunt (cf. Thuc. IV, 21)? Haud ita — „et repetunt Aeginam." Jocularia haec sunt, sed jocus Atheniensibus minime periit; scilicet Spartani semper suum pacis amorem in ore habebant: esse modo quae Athenienses sibi condonare velint, et securi esse poterant, ne bellum exoreretur, vid Thuc. I 139. Ad quae respondendum erat cum Pericle (Thuc. I. 140): *Λακεδαιμόνιοι δὲ πρότερόν τε δῆλοι ἦσαν ἐπιβουλεύοντες ἡμῖν καὶ νῦν οὐχ ἥκιστα — καὶ ἐπιτάσσοντες ἤδη καὶ οὐκέτι αἰτιώμενοι πάρεισι.* cf. Oncken. l. l. II. pg. 171, 193. Hoc erat Lacedaemoniorum *τὸ τὴν εἰρήνην προκαλεῖσθαι,* Atheniensibus imperare, quae ab iis negatum iri liquido sciebant, quos nunc in transitu sed suaviter admodum ridet Aristophanes; talem autem jocandi modum eo non indignum et vere Aristophaneum esse, nemo uti spero est, qui negatum eat. Possunt autem haec referri vel ad negotiationes, quae anno 431 (cf. Thuc. l. l.), vel ad eas quae anno 430 (Thuc. II. 59) de pace habitae sunt [1]; quamquam quid nos credere vetat etiam postea, vel ipso Acharnensium anno, eosdem a Lacedaemoniis sermones effusos esse, licet id a Thucydide omissum sit?

---

1) Ut factum est a Mueller—Strueb. pg. 574 adn.

Ergo totius parabaseos contentum ita fere explicare licet: „sunt qui me reipublicae maledicere calumniose dicant, contra quos nunc coram vobis me defendam. Etenim multorum bonorum vobis causa extiti; nam quas illi calumnias esse perhibent, eas bona reipublicae constituendae praecepta esse intellexit vel rex Persarum et coram Lacedaemoniorum legatis declaravit. Atque hi eam ob causam vos ad pacem blandi provocant Aeginam repetendo; quam insulam si Aeginetis reddere voluissetis, vobis bellum omnino non intulissent, et si vel nunc eam iis concedere vultis, pacem impetrare potestis; illi autem hanc insulam nihil curant, sed me vobis eripere student. Sed vos, nolite me deserere, nam me optimum habetis adjutorem ad victoriam consequendam; ego enim semper bona consilia dare vobis pergam libero animo et incorrupta fide. Quae cum ita sint, jam licet Cleoni contra me agitare et quidquid volet moliri, nam jus et fides mecum certabunt." In his illud tantum obscurum manet quomodo Lacedaemonii per Aeginam Atheniensibus poëtam eripere potuerint; sed hoc conclamatum est, opinor; nemo certe eorum, qui id explicare conati sunt, jam inde a Scholiastarum temporibus, cum sibi tum aliis satisfecisse videntur. Verum hoc non satis causae esse, cur illa ad Aristophanem trahamus, ipse agnovit Schraderus. Neque omni fide indignus videtur Scholiasta alter ad hunc locum: *οὐδεὶς ἱστόρηκεν ὡς ἐν Αἰγίνῃ κέκτηταί τι Ἀριστοφάνης ἀλλ' ἔοικε ταῦτα περὶ Καλλιστράτου λέγεσθαι, ὃς κεκληρούχηκεν ἐν Αἰγίνῃ μετὰ τὴν ἀνάστασιν Αἰγινητῶν ὑπὸ Ἀθηναίων*, namque ille de Callistrato locus non Scholiastarum doctrinam sapit, quippe quos ubique Callistratum prae Aristophane neglexisse videmus; atque hoc ipso loco de Callistrato non cogitavisset, nisi Aristophanis Aeginae possessiones a nemine memoratas esse animadvertisset. Nihil igitur contra eum valet Schol. ad Plat.

pg. 331 vita XIII 19: *κατεκλήρωσε* (*κατεκληρούχησε* Bergkius *κατεκληρώσατο* Mueller-Struebingius) *δὲ καὶ τὴν Αἰγίναν. ὡς Θεογένης φησὶν ἐν τῷ περὶ Αἰγίνης*, quod ineptum est. Theogenes autem quis fuerit, nescimus. Divinat quoque scriptor vitae XI 32: *οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε. κατὰ τινὰς δὲ ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης*; itidem alter Schol. ad Ach. 654: *ταῖς ἀληθείαις εἷς ἦν τῶν ἐν τῇ νήσῳ κληρουχησάντων.* Hi omnes stulte de cleruchia cogitabant, de qua re vide Mueller-Struebingium pg. 606. De Aegina igitur nil apparet; omnes autem causas, ob quas Schraderus parabasin Acharnensium inter Callistratum Aristophanemque dividendam censeret, mihi reprobavisse videor; qua in re eo diligentius versatus sum, quo ego vehementius illius argumenta me quoque olim commovisse sciebam.

Ceterum et alia causa est, cur ea potius ad Callistratum quam ad Aristophanem referamus; quid enim Cleo profecisset si Aristophanem Aeginetam esse ostendisset, qui nullam hucusque fabulam suo nomine commiserat; *οὐδὲν δὲ ἐκώλυσε*, haud illepide animadvertit Scholiasta, *καὶ ἑτέρωθι συγγράφειν, εἰ ὑπὸ Λακεδαιμονίους ἡ νῆσος ἐγεγόνει*; semper enim Callistratus aliquis ei praesto fuisset qui comoedias eius, quae populo tantopere placerent, repraesentandas curare suscepisset. Contra, quis Callistrati, poëtae mediocris, fabulas acturus erat, si ipse peregrinitatis damnatus non amplius chorum ab archonte impetrare poterat? Non autem repugno quominus Aristophanem postea a Cleone peregrinitatis crimine petitum esse grammaticis credatur (cf. supra pg. 75), qua in re illum privatum odium exercuisse existimo, nihil aliud agentem quam ut adversario molestias pareret; neque enim verba: *ὁ δὲ (Κλέων) ξενίας αὐτὸς κατ᾽ αὐτοῦ ἔγκλημα ἔθετο* (apud script. Vitae XII) quid

sibi velint perspicio, nisi poëtam Cleoni privatae injuriae poenas dedisse indicent. Quare hanc litem post Equites actam esse arbitror atque hinc nobilissimum locum refero, qui legitur Vesp. vs. 1284—1291:

εἰσί τινες οἵ μ' ἔλεγον ὡς καταδιηλλάγην,
ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος
καί με κακίαις ἔκνισε· κᾆθ' ὅτ' ἀπεδειρόμην
οὑκτὸς ἐγέλων μέγα κεκραγότα θεώμενοι,
οὐδὲν ἄρ' ἐμοῦ μέλον, ὅσον δὲ μόνον εἰδέναι,
σκωμμάτιον εἴποτε τι θλιβόμενος ἐκβαλῶ.
ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα·
εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.

de quibus verbis omnino Scholiasta audiendus est, quamquam justo prudentius locutus est: *ἄδηλον πότερον τῆς Καλλιστράτου εἰς τὴν βουλὴν εἰςαγωγῆς καὶ νῦν μιμνήσκεται, ὅτι αὐτὸν Κλέων εἰςήγαγεν, ἢ ἑτέρας κατ' αὐτοῦ γενομένης Ἀριστοφάνους καὶ μὴ εἰςαγωγῆς ἀλλὰ ἀπειλῆς τινος, ὅπερ καὶ μᾶλλον ἐμφαίνεται. ἐκεῖνά τε γὰρ ἀναπολεῖν ἀρχαιότερα ἔσται, νῦν τε ὡς περὶ αὐτοῦ λέγει.* Cui homini, licet nihil protulerit quod non sana ratione commendetur, nonnulli adeo omnem fidem denegaverunt, ut eos versiculos vel ad Babylonios referrent, quorum princeps est Fritzschius (pg. 35). De hac quaestione utiliter consuli possunt Hermannus l. l. pg. V, Kockius in Progr. pg. 27, Mueller-Struebingius pg. 608 [1]), Bergkius pg. 937, quorum sententiae, quantum ad nostram fabulam pertinent, mihi quoque probantur. Potest autem fieri ut etiam alia causa respiciatur; ter certo Aristophanem in jus vocatum esse a grammaticis

---

1) Hic *γραφὴν ἀστρατείας* poëtae intentatam esse dicit, ideoque vs. 1286: *καί με κακίας ἔκνισε* scribendum proponit; de qua conjectura non habeo quid judicem, vulgatam autem, quam Florens Christianus codicum *κακίσταις* vel *κάκιστ'* substituit, stare non posse, quam libentissime ei concedo.

traditum est. Uberius de Vesparum loco disputare in tempus omittam; ex iis enim quaecunque ad Babyloniorum fabulae argumentum et historiam illustranda faciunt, nihil me praetermisisse puto; qua in re, quoniam eruditionem meam ab omni parte mancam esse cum dolore sentiebam, (quam tamen longa dies et labor improbus aliquando, uti spero, mihi integriorem suppeditabunt) judicium certe praeceptoribus meis optimis, quorum auscipiis hic qualiscunque libellus proditurus est, probare studui, quos primitiis meis ut faveant etiam atque etiam oro.

THESES.

I.

Callistratus, non Aristophanes, a Cleone ob Babylonios in jus vocatus est.

II.

Daetalenses fabula Philonidis nomine prodiit.

III.

Paragraphus XXVa Xenophontis Hell. l. IV cp. I locanda est post paragraphum XVIIam eiusdem capitis.

IV.

Soph. Ai. vs. 488: εἴπερ τινὸς σθένοντος ἐν πλούτῳ Φρυγῶν. Legendum est ἐν πλήθει.

V.

Soph. Ant. vs. 1096:

τό τ' εἰκαθεῖν γὰρ δεινὸν ἀντιστάντα τε
ἄτῃ πατάξαι θυμὸν ἐν δεινῷ πάρα.

Pro ultimis verbis sensu cassis legendum puto: *ἔτι δεινοῦ πέρα.*

VI.

Thuc. II 90: *οἱ δὲ Πελοποννήσιοι, ἐπειδὴ αὐτοῖς οἱ 'Αθηναῖοι οὐκ ἐπέπλεον εἰς τὸν κόλπον καὶ τὰ στενά, βουλόμενοι ἄκοντας ἔσω προαγαγεῖν αὐτούς, ἀναγόμενοι ἅμα ἕῳ ἔπλεον, ἐπὶ τεσσάρων ταξάμενοι τὰς ναῦς, ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν γῆν ἔσω ἐπὶ τοῦ κόλπου.*

Difficultates loci tolluntur, si legitur: *ἐπὶ τὴν ἐναντίαν γῆν.*

VII.

Thuc. III 50: *τοὺς δ' ἄλλους ἄνδρας οὓς ὁ Πάχης ἀπέπεμψεν ὡς αἰτιωτάτους ὄντας τῆς ἀποστάσεως Κλέωνος γνώμῃ διέφθειραν οἱ 'Αθηναῖοι· ἦσαν δ' ὀλίγῳ πλείους χιλίων.*

Pro A cum H. Schuetzio (Zeitschr. f. Gym.-Wes. 1881 pg. 445) Λ' legendum est.

VIII.

Thuc. IV 126: *ἀγαθοῖς γὰρ εἶναι ὑμῖν προσήκει τὰ πολεμικά .... καὶ μηδὲν πλῆθος πεφοβῆσθαι ἑτέρων, οἵγε μηδ' ἀπὸ πολιτειῶν τοιούτων ἥκετε, † ἐν αἷς οὐ † πολλοὶ ὀλίγων ἄρχουσιν, ἀλλὰ πλειόνων μᾶλλον ἐλάσσους.* Cruces apposuit V. Cl. Herwerdenus. Omnia sana sunt, modo restituas: *ἐν αἷς οἱ πολλοί κτἑ.*

IX.

Verbis *τὸν μέγα κεκραγότα* Arist. Vesp. 1287 Aristophanes indicatur, non Cleon.

X.

Aeschyli Agam. vs. 946 sqq. (Dind.):

καὶ τοῖσδε μ' ἐμβαίνονθ' ἁλουργέσιν θεῶν
μήτις πρόσωθεν ὄμματος βάλοι φθόνος.
[*πολλὴ γὰρ αἰδὼς σωματοφθορεῖν ποσὶν* (Cod. *πόσιν*)]
φθείροντα πλοῦτον ἀργυρωνήτους θ' ὑφάς.

Frustra verbum *σωματοφθορεῖν* a viris doctis variis modis tentatum est, totus enim versiculus subditicius est.

XI.

Eurip. Phoen. 1652:

ΚΡ. *εἴπερ γε πόλεως ἐχθρὸς ἦν οὐκ ἐχθρὸς ὤν.*

Lege: *ἐχθρὸς ὢν οὐκ ἐχθρὸς ἦν.*

XII.

Tac. Dial. c. 23: sed vobis utique versantur ante oculos isti qui Lucilium p r o Horatio et Lucretium p r o Vergilio legunt.

Praestat, opinor: p r a e Horatio et p r a e Vergilio.

XIII.

Fac. Agr. c. 11: solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum.

Vox „fecundum" expungenda est.

XIV.

Juven. Sat. X 35:

perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quamquam non essent urbibus illis
praetexta et trabeae, fasces, lectica, tribunal.

Ex more Juvenalis legendum est: praetextae, trabeae, fasces, lectica, tribunal.

XV.

Carmen quod inter Horatiana ultimum est secundi libri ab Horatio confectum esse nego.

XVI.

Horat. Carm. III, 2, vss. 17—20 spurii sunt.

XVII.

Liv. IV 33, 4: „fumone victi" inquit, „velut examen apium loco vestro exacti, inermi cedetis hosti? Non ferro extinguitis ignis?

Lege: ceditis — extinguetis.

XVIII.

In fine libri VI Aeneidos versuum ordo perturbatus est; restituendus videtur hunc in modum: post 787 sequantur vss. 808—825, et deinceps 836—846, 826—835, 788—807, 847—853. Expellantur autem vss. 788—790, ab editoribus conficti.

XIX.

Aen. VI 210:

corripit Aeneas extemplo avidusque refringit
cunctantem.

Vergilium scripsisse suspicor: sectantem.

XX.

Tribuni plebis ante legem Publiliam Voleronis non creabantur curiatim.

XXI.

Non est cur dubitemus, quin senatoribus Romanis filios praetextatos in curiam secum ducere licuerit, modo statuamus eum morem paulo ante aetatem Catonis et Polybii lege vel senatus consulto sublatum esse.

XXII.

Non est verisimile Caesarem Catilinariae conjurationis participem fuisse.

XXIII.

Praetores Athenis creabantur exeunte hieme.

XXIV.

Cleon praetor fuit per annos 423 et 422.

XXV.

In plerisque civitatibus, quae cum Atheniensibus societatem inierant, initio belli Peloponnesiaci summa res penes optimates erat.

XXVI.

Reipublicae Atheniensium interitus praecipue optimatium machinationibus, *συνωμοσίαις* et *ἑταιρείαις* debetur.

XXVII.

Thucydidis fides a Mueller-Struebingio in libro cui titulus „Aristophanes und die Historische Kritik" multis partibus labefacta est.

XXVIII.

Quae Pausanias de Olympia habet, ea non ut oculatus testis descripsit.

XXIX.

Plato cum alias tum hanc ob causam dialogorum forma usus est, quod saepe non id agebat, ut quid de quaque re sentiret doceret, sed ut quaestionem de iis rebis proponeret, de quibus apud ipsum, quantumvis huc vel illuc inclinaret, non liquido constabat.

XXX.

Plato et Aristoteles cum de Atheniensium republica tum de singulis personis iniquum judicium tulerunt, cum viris popularibus prorsus abjectis, oligarchiae fautores saepe plus merito laudaverint.

XXXI.

Quae Aristoteles (Phys. VI 2 pg. 233 *a*, 11) contra Zenonis sophisma quod Achilles dicitur affert, mihi non satisfaciunt.

XXXII.

Dialogus qui Cratylus inscribitur, non per ironiam explicandus est, nam Plato in eo serio rem agit.

XXXIII.

Suetonius Vit. Claud. c. 25 (Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit) non de Christianis agit.

XXXIV.

Sine idonea causa Vir doctissimus S. J. E. Rau Bilderdijkii nostri Segolem cum Aeschyleo Prometheo comparari jussit.

XXXV.

In libris quae vernaculo sermone prodeunt, Graeca nomina propria Romano more scribi pergunto.

XXXVI.

Improbandum est, quod nova lex studia propaedeutica quae dicuntur, a Scholis Academicis ad gymnasia transtulit.